



ANNOTATIONES

AD

T. LIVII LIBROS XLI-XLV

EX CODICE OLIM LAURISHEMENSI NUNC VINDOBONENSI

A SIM. GRYNAEO EDITOS.

ACCESSIT

COMMENTATIO

DE

T. LIVII HISTORIARUM RELIQUIIS

EX PALIMPSESTO TOLETANO ERUTIS.

EDIDIT

Dr. IOANNES THEOPHILUS KREYSSIG,


ILLUSTRIS AFRANEI PROF. II.

ORD. REG. SAX. VIRT. CIV. EQUES.

MISENAE,

SUMPTIBUS ET TYPIS C. E. KLINKICHTII ET FIL.

CIƆIƆCCCXLIX.



Ad T. Livium.

Extremum hunc, Patavine, mihi concede laborem,
Ne maculent chartas turpia menda tuas.
Quas ubi contigerit verbis detergere sordes,
Non deerunt studii praemia magna mei.
Redditus ipse tibi docta celebrabere turba,
Nominis et nostri fama superstes erit.
Perficiet, quidquid superest, penitusque refinget,
Florentis cytisi qui bene nomen habet.

PROOEMIUM.

Undetricesimus annus agitur, ex quo mihi ad editionem Livii ab Aug. Guil. Ernestio adornatam post Schaeferum denuo recognoscendam accedenti, quum praeter codicis Bambergensis primum a Goellero paullo negligentius, deinde a memet ipso multo diligentius collati usum alia quoque circumspicerem adiumenta, codicis olim Laurishemensis, nunc Vindobonensis[1]), sexto, ut videtur, saeculo exarati et Moguntino, ut mea fert opinio, plane gemini[2]) copia est facta. Huius enim codicis auro contra, ut Plauti more modoque loquar, non cari, ex quo Sim. Grynaeus ultimos, qui supersunt, quinque Livii libros vel potius mancas et lacunosas eorum reliquias ante trecentos amplius annos primus edidit[3]), cum editione Drakenborchiana conferendi laborem Kopitarius mercedem satis amplam cum bibliopola liberalissimo pactus suscepit et omnem, quoad eius facere potuit, scripturae diversitatem enotavit. Qua quidem codicis unici collatione, quam vocant, ita usus sum, ut lectiones sinceras et integras, quae Grynaeum nescio quo pacto fugissent, sine ulla dubitatione reciperem, alias autem, quae vel leviter vel graviter essent depravatae, facili negotio vel intentiore cura emendarem, itemque virorum doctorum coniecturas vel per se probabiles vel codicis auctoritate quodam saltem modo confirmatas vulgato substituerem, et quae ne coniecturae quidem ope restitui posse viderentur, nequidquam emendare conatus aliis me

acutioribus corrigenda relinquerem [4]). Tantum enim abest, ut Grynaeus, cuius acumen et sollertiam in tollendis librarii mendis paene innumeris et lacunis maioribus minoribusve probabiliter explendis non potui non suspicere atque admirari, omnia absolverit et perfecerit, ut permultis in locis, id quod in orationis contextu, quem Grynaeus instar operis tesselati artificiose composuit [5]), vix sentias, quid Livius scripserit, nondum ad liquidum confessumque sit perductum. Eo magis igitur laetatus sum, quod opinione citius post Tafelium, de quo Livii editore tacere praestat quam pauca dicere [6]), in locum meum successit Baumgarten-Crusius, qui quum quarti editionis nostrae voluminis nondum emissi plagulas a typographo accepisset, in postremis Livii libris edendis ita versatus est, ut, quum ipsa codicis Vindobonensis collatione uti non posset, quae vel codicis auctoritatem vel coniecturae probabilitatem secutus emendassem, partim aperte et simpliciter, ut solebat, probaret vel improbaret, et suam ubique rationem teneret, partim, quum Livio non tantum, quantum Suetonio, diligentiae tribuisse videatur, tacite praeteriret ac negligeret. Biennio deinde interiecto, quum Tauchnitius de arte typographica longe meritissimus mihi significasset, se id agere, ut Livii historiarum libros uno volumine comprehensos simulque in sex volumina divisos edat, et, ut textum, quem vocant, denuo recognoscerem, iterum iterumque rogasset, conditionem ultro oblatam eo lubentius accepi, quo magis dolui, maiorem illam Livii editionem per inexcusabilem eorum, qui operarum pericula corrigerent, socordiam tot tantisque mendis typographicis esse deformatam [7]). Ut igitur alteram eamque minorem Livii editionem, id quod Crevierium quoque in Livii historiarum libris et Oudendorpium in Iulii Caesaris commentariis edendis fecisse memini, pro-

pria quadam virtute commendabiliorem redderem, non solum omnes omnino locos a me emendatos rursus examinavi, sed etiam, quum Kopitarius meo rogatu codicem de locis compluribus, qui aliquam habere viderentur dubitationem, iterum consuluisset et sinceram eius scripturam singulos literarum apices rimatus in meos usus accuratissime enotasset vel potius delineasset, alia per errorem mutata retractavi, alia certiore emendatione restitui, et, quibus in locis ab editione Drakenborchiana discessissem, diligenter annotavi. Hoc labore vixdum absoluto et perfecto, Bekkerus, cui codicis Vindobonensis collationem bibliopolae iussu concesseram, simulque per literas ad eum datas auctor exstiteram, ut minorem potius quam maiorem Livii editionem a me paratam sequeretur, novam in usum scholarum adornavit Livii editionem, quae quomodo in posterioribus maxime Livii libris sit comparata, breviter demonstrasse iuvabit. Primum igitur, quod Baumgarten-Crusius facere non potuit, Bekkerus facere noluit, et verba scriptoris, contra quam ei suaseram, ex maiore, quam dixi, et imperfectiore Livii editione ita describi iussit, ut ea omnia, quae in minore multo emendatiora leguntur, fastidiose negligeret atque aliquot lectiones a me, quum de vera codicis scriptura per Kopitarium certiora essem edoctus, iure meritoque reprobatas per imprudentiam vel ex nostra editione repeteret, vel ex codicis collatione reciperet[8]), et ne vocabula quidem in prioribus Livii libris a typographo temere omissa restitueret. Deinde permultas, id quod magnopere laetor, emendationes a me vel ex ipso codice petitas vel coniectura repertas assensu mihi perquam honorifico comprobavit, sed tacite, ut solet, in orationis contextum recepit, ita ut, quum nusquam nisi ad XLII, 65. XLIII, 21. atque XLV, 21. et 28. locum a me emendatum esse annota-

verit, et praeterea aliorum quoque coniecturas, non edito auctoris nomine, vulgato substituerit, quid codicis auctoritati, quid coniecturae probabilitati tribuendum sit, intelligi nequeat. Denique nominum propriorum aliorumque vocabulorum scripturam ad codicis et editionis principis, quam tamen ipsam non consuluisse, certe non diligenter inspexisse videtur[9]), fidem conformare, leviores aliquot lectiones a me vel consulto vel temere praetermissas ex codice recipere atque nonnullas locorum depravatorum emendationes et a nobismet ipsis et ab aliis inchoatas absolvere satis habuit; sed ex locis illis desperatis ac paene conclamatis ne unum quidem pristinae integritati coniecturae ope restituere conatus est[10]). Quae quum ita se habeant, iure meritoque a me postulari videbatur, ut nomen ante multos annos contractum tandem aliquando dissolverem, et de Livii locis partim ex codice Vindobonensi restitutis, partim secundum meas aliorumque coniecturas emendatis rationem bona fide redderem, simulque, quum res maligna Bekkeri reticentia in dubium esset revocata, mea mihi auctoritatis iure vindicarem. Propterea omnia omnino, quae de Livii locis ex codice Vindobonensi vel emendatis vel emendandis in libris libellisque a me editis leguntur[11]), omissis tamen iis, quae de orthographia sive formula et ratione scribendi, quam librarius constanter secutus est, et de variis ac miris, quibus saepissime implicitus est, erroribus hic illic exposui, ita in unum colligenda existimavi, ut alia retractarem, alia magis etiam confirmarem, et de ceteris quoque Livii locis a me postea emendatis vel de mendo mihi suspectis breviter strictimque dicerem. Neque enim id agebam, ut alias aliorum opiniones atque coniecturas a Drakenborchio et recentioribus Livii interpretibus, veluti Heusingero, prolatas copiosius exponerem ac refu-

tarem, sed meam de singulis Livii locis sententiam a Weissenbornio, quem ex adversario amicum esse factum laetor, aliquoties impugnatam defendere et quibus in locis Baumgarten-Crusius et Bekkerus album nostrae sententiae calculum adiecerint, literis *BC.* et *B.* significare satis habui. Praeterea vero, quamquam magnopere confido, Alschefskium omnem scripturae diversitatem ex codice Vindobonensi diligenter enotatam in promptu habere[12]), eamque ita aliquando esse prolaturum, ut, quid codici, quid Grynaeo debeatur, clarius certiusque, quam ex Bekkeri editione possit intelligi, tamen, ne quis postea codicis collatione a Kopitario confecta, quam bibliopolae ex pacto et convento reddidi, in errorem induceretur, quaecunque Kopitarius, codice iterum inspecto, mecum communicavit, ex schedis, quae penes me sunt, his annotationibus inserui. Quae quidem omnia si mihi ita perficere contigerit, ut peritis nec saeculi pravitate corruptis literarum antiquarum aestimatoribus non prorsus improbentur, et aliquis saltem fructus ad hos Livii historiarum libros emendandos atque explicandos redundet, magnopere mihi gratulabor, neque me oleum et operam perdidisse existimabo.

ANNOTATIONES.

1) De hoc codice cf. Pet. Lambecii Comment. de biblioth. Caes. Vindob. Lib. II. cap. 8. p. 943. sqq. sive ed. Liv. Drakenborch. Tom. VII. p. 223. sqq. atque Catalog. codicum manuscriptorum biblioth. Palat. Vindob. Part. I. p. 49. sq. ubi Endlicherus haec memoriae prodidit: „Historiam codicis mirifice collustrant pauca inscriptionis vetustae vestigia fol. ult. v. *„sútberti epî de dorostat,“* nonnullis, quae praecedebant tribus vel quatuor vocibus, iniuria temporum penitus iam detritis. Sutbertum sive Suitbertum, natione Anglum, primum in Hibernia monachum, deinde Dacorensem in Cumbria abbatem, tandem Frisonum apostolum, circa ann. 693. a suis in hac vinea sociis episcopum electum, atque in Anglia ordinatum fuisse, e Beda (*Hist. eccles. V.* 12.) constat; eundem cum Willebrordo (quo Romam iter intendente Suitbertum a suis episcopum renuntiatum fuisse idem Beda testatur) Dorostadii (*Wyck de Dürestedt*) per biennium Christum praedicasse, atque in eo vico vel ditione quinquaginta duo fana dedicasse, narrat Marcellinus quidam (*in vita St. Suitberti cap.* 27.) explosus quidem a Bollandistis (*ad diem I. Martii*) testis, qui tamen caute subdunt, se ea, quae de vico Dorostad ibi referuntur, nec approbare nec reiicere velle. Pulso a barbaris episcopo et dispersis sociis, prosequitur Beda, Pipinus locum mansionis dedit in insula Rheni, quae lingua eorum vocatur in Littore (*Caesariswerda s. Kaiserswerder*) in qua ipse constructo monasterio diem clausit extremum (ann. 713). Nihil moramur Suitbertum, episcopum *„nulli sedi addictum,“* ut inquit Belgii sacri auctor (*Tom. I. p.* 43.) Dorostadensem vocari, cum in hoc loco diutius commoratum, et plures saltim ecclesias dedicasse, satis constet. Hinc iam coniicere fas est, Livianum hunc nostrum codicem, unicum quintae decadis superstitem, novo etiam sancti possessoris titulo colendum, ab ipso Suitberto ex Hibernia Dorostadum, inde Caesariswerdam delatum, continuo iuxta Rhenum itinere Laurishemum tandem pervenisse, unde ad Grynaeum in Helvetiam, postea in arcem Ambras migravit, tutum nunc ad Danubium nactus asylum.“ Idem, ut scripturae antiquissimae et nitidissimae specimen exhiberet, integram codicis paginam, in qua verba Liv. XLIII, 11. et 12. — *Ius et C. Iunius Salinator* — — *peditum X milia et XC equites. Quattuor praeter* — leguntur, in lapide perquam affabre descriptam adiecit. Atque iam antea Walchius Emendationibus Livianis, Berolini a. 1815. editis, triplex addidit scripturae exemplum ex Liv. XLII, 5. et 37. atque XLV, 30. petitum, quod ad codicis palimpsesti sive rescripti, ex quo Niebuhrius orationis Ciceronianae pro C. Rabirio partes ineditas eruit, similitudinem proxime accedit. Vid. M. Tullii Ciceronis Orationum pro M. Fonteio et pro C. Rabirio Fragmenta etc. edita a B. G. Niebuhrio C. F. Romae, 1820. p. 21. et 25. sq.

2) Quid, quod codicem Vindobonensem cum Moguntino, nunc in deperditis habendo, olim coniunctum fuisse, admodum probabile videtur. Satis enim constat, codicem Moguntinum in libro XL. finem habuisse, et Vindobonensem a libro XLI. initium cepisse. De huius scriptura autem recte dixeris eadem, quae de scriptura illius et excerpendi labore Nic. Carbachius in praefatione Annotatis ex vetusto exemplari ed. Mogunt. adiectis praefixa dixit hunc in modum: „Ceterum non sine molestia ac taedio id facere nobis licuit, quod est codex ille non tantum adeo antiquis scriptus literis, ut nisi ab assueto legi haudquaquam possit, repuerascendumque propemodum nobis fuerit in noscitandis literis, sed tam corrupte atque indistincte, ut difficillimum plerumque sit sensum aliquem elicere." Atque hanc ipsam ob causam Carbachium eiusque socium manifestos librarii errores in varietate lectionum, quam vocant, enotanda silentio praeteriisse suspicor.

3) Basileae in officina Frobeniana a. 1531. Editionem principem proxime subsecuta est Frobeniana altera a. 1535. a B. Rhenano et Sigism. Gelenio, quem Walchius Emendatt. Liv. p. 245. atque Goellerus ad Livii Hist. Lib. XXXIII. p. 100. et 358. Grynaeo perperam substituerunt, adornata et hic illic emendata, de qua vid. quae in praefatione Livii Hist. Lib. XXXIII. a. 1839. edito praemissa p. 48. not. 26. dixi. Utramque editionem notis *Frob.* 1. et *Frob.* 2. significavi. Grynaeus autem, ut ad eum revertar, in lectoris compellatione, a Drakenborchio Tom. VII. p. 225. sq. non satis accurate repetita, de codicis Laurishemensis lacunis ita exposuit: „Si forte cupis nosse, quantum quoque loco desit in his quinque recens repertis libris, scito, archetypum universum quaternionibus triginta quatuor constare, quorum singuli folia octo habuerant. Unius folii modum intelliges ex primi libri duobus deinceps fragmentis, quorum alterius *deduxit* initium est, alterius *more:* [XLI, 18. extr. et 20. in.] nam ea singulis foliis continentur. Ex eo quaternionum numero primus periit. Proximi duo exstant integri. Ex quarto et quinto supra memorata fragmenta duntaxat supersunt. Sextus et alii deinceps usque ad quintum decimum exstant integri. Decimus quintus et tres proxime sequentes interciderunt. Sed ordine proximi habentur integri. Ex vigesimo quinto quaternione perierunt duo extrema, item duo media folia: ex sequenti quatuor media: ex vigesimo septimo duo media: ex sequenti unicum, quo quartus liber clausus fuerat: atque tot foliis liber is diminutus est. Reliqui sex quintum librum continentes integri sunt, praeter trigesimum duobus extremis foliis, et ultimum primo duntaxat, mutilos. Nam omnium postremum vacaverat." Haec Grynaeus. Sed prius quam codex ex arce Ambrasiana in bibliothecam Vindobonensem deferretur, secundum quoque quaternionem periisse, ex eo intelligitur, quod ille nunc incipit a verbis XLI, 9. — *tum cons. sc. adiectum est*, quae cum reliqua huius capitis parte Lambecius p. 945. sq. ad membranarum antiquissimarum fidem exhibuit. Ex nostra igitur computatione, quum de quattuor et triginta quaternionibus sive ducentis septuaginta duobus foliis sex quaterniones integri et de ceteris duodetriginta folia perierint, centum nonaginta sex folia supersunt, quorum ultimum est vacuum. Quae quidem ratio num conveniat, nec ne, Endlicherus, qui codicem centum nonaginta tribus foliis constare dixit, in re praesenti cognoscat.

4) In codice enim, ut varii ac diversi generis exempla proponam, legitur primum XLI, 22. et alibi *escendit*, cap. 23. *si uere uolumus dicere*, cap. 24. *triduum nos in concilio fuisse*, ibid. *nihil metus praesens*, ibid. *ne interdictione finium nostros quoque et nos segni arceamus*, quod Bekkerus Grynaeum ita secutus, ut *segni* in *regno* mutaret, vulgato recte substituit, XLII, 8. *nec ante consulem de prouincia decedere quam*, cap. 9. *et sui aliquo tamen respectu*, cap. 10. *in incepto perstabant*, cap. 24. *et urbem et agros*, quod Bekkerus recte recepit, cap. 28. *sacerdos est lectus*, cap. 29. *neque romanos posse aequom censere*, cap. 31. *duceni pedites*, ibid. *sors obuenit*, cap. 34. *ordine quo me dignum iudicent*, cap. 37. *cui rescribi non placuit*, cap. 38. *non fuisse se dilaturum*, cap. 45. *praeparatis*, ibid. *multi orationibus*, ubi *multis* scribendum, cap. 64. *ceteros excitauerunt*, XLIII, 2. *pecunias repeterent*, cap. 9. *mrecius praetor*, id est *M. Raecius*, cap. 14. *praetores plebis causam egerunt*, cap. 22. *prope inachum amnem*, XLIV, 1. *dies unius expedito iter est*, ubi *dies* in *diei* mutandum, cap. 5. *transuerso incumbente tigno*, ubi *incumbentes* scribendum, cap. 22. *male rem publicam gerere*, ibid. *is ne deneget*, cap. 25. *apisci*, cap. 27. *non tenere multitudinem alia*, pro *aliam*, cap. 35. *detineret*, cap. 45. *romanis se dedunt*, XLV, 1. *praeceptum* pro *praeceptam*, ibid. *fremitus increuit*, ibid. *aliter editus* pro *editur*, cap. 4. *tendente*, cap. 10. *quod multitudinem noxa leuabant*, cui *levabat* substituendum, cap. 14. *omnibus eum fructum officii* pro *functum officiis*, cap. 24. *offensione aurium*, cap. 27. *ad circumeundam graeciam*, quod praestat vulgato, cap. 31. *ad externos*, cap. 36. *et a tribunis postulauit*, cap. 38. *non unius in hoc pauli*, cap. 39. *duci in triumpho mauoltis*, cap. 42. *inuisitate ante magnitudinis*, et cap. 43. *transtulit in triumpho*; deinde XLI, 15. *iecur omne inenarrabilitate absumptum* pro *iecur omne inenarrabili tabe absumptum*, cap. 20. *magnis praedis* pro *magnis pretiis*, cap. 23. *quantum enim interfuit fretus* pro *quantum enim interfluit fretum*, XLII, 18. *fatigatis sepe idem petendo senatum* pro *fatigantes saepe idem petendo senatum*, cap. 29. *mansurasse* pro *mansuras res esse*, cap. 35. *praemissa appellatione* pro *remissa appellatione*, cap. 42. *cum exercitu messe adicitur* pro *cum exercitu me isse adiicitur*, XLIV, 5. *ibi ualle* pro *ibi vallo*, cap. 7. *imperia frumenti copiam ferre* pro *in Pieria frumenti copiam fore*, cap. 8. *manenti imperia* pro *manenti in Pieria*, cap. 26. *satisse* pro *satis esse*, cap. 30. *per remissos nuntios* pro *per praemissos nuntios*, cap. 38. *onere fessum* pro *opere fessum*, cap. 41. *elepantos induci et alias sociorum* pro *elephantos inducit et alas sociorum*, XLV, 7. *donec a consule lictores misissent qui summoto iter ad praetorium facerent* pro *donec a consule lictores missi essent, qui summoto iter ad praetorium facerent*, cap. 13. *adfuturum regem fuisse* pro *adiuturum regem fuisse*, cap. 15. *filius quinquenni maior ex senatu* pro *filius quinquenni maior ex se natus*, cap. 16. *res et bello turbatas et statum alium ex regno formandas* pro *res et bello turbatas et in statum alium ex regno formandas*, cap. 25. *maiora pulsa is nomina esset* pro *maior a repulsa ignominia esset*, cap. 27. *uisendamque nobilita famā maioram auribus accepta sunt* pro *visendaque quae nobilitata fama maiora auribus accepta sunt*, ibid. *uates anticum* pro *vates antiquus*, cap. 29. *tribunal summoto additu* pro *tribunal summoto aditum*, cap. 42. *legati trans* pro *legati tres*, cap. 43. *locis monumentisque*

fretum regem illyriorum pro *locis munimentisque fretam gentem Illyriorum* et cap. 44. *munera sibi ipsi emi non si esse* pro *munera sibi ipsi emi non sisse;* deinde XLI, 23. *quem populo romano prius paenae quam regni heredem futurum sciebat* pro *quem hostem populo Romano prius paene quam regni heredem futurum sciebat*, XLII, 15. *sopitus qui exemit a procliuit in decliue* pro *sopitusque ex semita proclivi ruit in declive*, cap. 51. *ex omni cetratorum numero duo erant hagema hanc ipsi legionem uocabant* pro *ex omni caetratorum numero duo milia erant: agema hanc ipsi legionem vocabant*, cap. 65. *huic ab lege braeue pinnae tres uelut sagittis solent circumfundabantur* pro *huic abiegnae breves pinnae tres, velut sagittis solent, circumdabantur*, ibid. *maioris sinu* pro *maiori* sive potius *maiore nisu*, XLIII, 7. *quam sine decedantur sic quod* pro *quam fide decedant, sic, quod*, XLIV, 6. *in classe iusto ci demigrasse pydnam cogit* pro *incolas eius loci demigrare Pydnam cogit*, cap. 11. *in altus magnitudine atho mons* pro *inclitus magnitudine Atho mons*, cap. 22. *quando quiesset sit ne quid melius faciendum sit*, pro *quando quiesse sit melius. Nec, quid faciendum sit*, cap. 26. *sed tam tegenti* pro *sed iam ante Gentii*, cap. 27. *ex edicto uicto* pro *ex se victo*, XLV, 19. *iniuriis pro obnoxios fore* pro *iniuriis probrisque obnoxios fore*, cap. 21. *deinde patrum ad populum latum* pro *deinde ex auctoritate patrum ad populum latum*, cap. 28. *a baebio praesidi* pro *a Baebio praefecto praesidii*, cap. 39. *mactati quidem illae aepulae senatus* pro *mactabitis? Quid? illas epulas senatus* etc.; deinde XLI, 10. *quod cum militum* pro *quod cum illi tum*, cap. 25. *indutiae et antum sex mensum fuerunt* pro *indutiae tantum sex mensum* sive *mensium fuerunt*, XLII, 42. *ultra legatan remotum* pro *ultra iuga Tauri emotum*, cap. 50. *ultra iuga turi enmotum* pro *ultra iuga Tauri emotum*, XLIII, 4. *indigne senatui uisa* pro *indigna res senatui visa*, cap. 7. *pensi si* pro *pensi sit*, cap. 8. *sociasque amici* pro *socii atque amici*, XLIV, 34. *milites consultet imperator* pro *milites consultent, imperator*, XLV, 15. *adem mō et albano* pro *aedem Monetae in monte Albano*, cap. 19. *aduertaeque gladiis quae regnum in dubium adductum esset* pro *acceptaeque cladis, qua regnum in dubium adductum esset*, et cap. 26. *ciuitates accessionem factis* pro *civitatem accessionem facitis;* denique XLI, 18. *foris ipse oporteret*, cap. 28. *u. mil. iib. sauri in aerarium tulit*, XLII, 9. *ad non parendum fuit*, cap. 14. *hac falsa iturus princeps*, cap. 19. *et recum legatis se discepnatisque et satis societatem*, cap. 29. *exine pollicitus erat*, ibid. *ei ad macedonum partis erat*, cap. 47. *haecum uenturum illum nihilo paratiorem*, cap. 52. *cuius uel quorum pars philippus*, ibid. *armat plios habere*, cap. 56. *haec soluta obsidio cuius locum alteri nouae obsidioni dedit*, cap. 61. *tumulus hyc ante tempeste est eminet larisae medius abest onum*, cap. 64. *et inconste oppugnationis castrorum*, cap. 65. *religes romanus terror circumstabat*, XLIII, 5. *duces passim rapinasque et incendia facta*, XLIV, 3. *fuerimque dicrum quem cepere locum appellantur*, cap. 6. *alterum usque ad pathum*, cap. 14. *mari interim incluso inopiam insulam inopem miss....ritimis iuu....colendi itaque commeatibus*, cap. 20. *in hiemem etiam in spe rebus gerendis interuenisse*, cap. 26. *per quem quantam omnium praeparatam cura regis copiam intuli forent*, cap. 32. *cum creantigonensis misit*, cap. 35. *ne quid etus moraretur*, cap. 36. *et meridie aestate magis adcesserunt tum mox adparebat*, ibid.

ne nocte habeat sequendus maxime labore ao periculo in intima macedoniae sit aesoeque, cap. 40. *ne tot imperatorum uolente*, XLV, 2. *in forum at urbi perrexerunt*, cap. 9. *statit urbg*, cap. 10. *facilis capitis condemnarentur*, cap. 12. *eum dum ius dicere*, cap. 14. *aequitatis iis postea*, cap. 17. *in macedoniam culpmi*, corr. *culmi*, *nominati*, et paullo post *ambo alii censorii*, cap. 26. *tot omnium multitudinem cum in furiis obviam effusa*, cap. 39. *merita bonaque p̄r. transredit*, cap. 44. *agro tantum ligurum optato*, et ibid. *si autem antiochi non peruissent*, de quibus omnibus nostras annotationes velim conferas.

5) Grynaei supplementis, quae Bekkerus hic illic commemoravit, ex multo maiore eorum numero nonnulla saltem addidisse iuvabit literis diductis exscripta: XLI, 20. *potest t e s t i s esse*, cap. 21. *M. Sempronius Tuditanus p o n t i f e x*, cap. 24. *suspectos alios a c invisos efficimus*, cap. 27. *et ova a d n o t a s curriculis numerand a s*, XLII, 3. *ut hae tegulae reportandae in templum l o c a r e n t u r*, cap. 8. *arma p r i m o quoque tempore fieri*, cap. 18. *s u m m a vi parabat bellum*, cap. 19. *munera b i n u m milium*, cap. 23. *f i n e m facturum*, cap. 26. *exustum a r e g e a g r u m*, ibid. *solos R h o d i o s fluctuantes*, cap. 28. *quam s e n a t u s censuerat*, cap. 30. *primo q u o q u e die*, cap. 34. *ex p r o v i n c i a a d triumphum deducebat*, cap. 43. *praeparata atque instructa h a b e r e t*, cap. 46. *missos Romam l e g a t o s*, cap. 47. *interdum l o c u m finire*, cap. 48. *praeter oram I t a l i a e supervectus*, cap. 54. *terga d e d e r u n t*, cap. 63. *cum operibus o p p u g n a t i o lentior esset*, cap. 65. *mille admodum c a p i u n t u r*, ibid. *nam neque conferti p u g n a r e propter eos, qui a s c e n d e r e in tumulum conabantur, poterant*, XLIII, 4. *concionibus assiduis l a c e r a b a n t*, cap. 5. *tanquam ad aliud b e l l u m gerendum*, cap. 11. *comitia h a b e r i possent*, ibid. *magna e x p a r t e*, XLIV, 1. *post scelere partum r e g n u m*, cap. 13. *i g n i s q u e iniectus*, cap. 22. *aut vobis, c r e d i t e*, ibid. *quorum a u c t o r nemo exstabit*, cap. 27. *s u b s i s t e r e n t ibi*, cap. 35. *per devexum i n m a r e brachium t r a n s i t u m tentaturus*, cap. 38. *fortissimum virum n o n vicerit*, cap. 39. *optatius, q u a m u t, quorum*, XLV, 2. *quam c u m paucis rex fugisset*, ibid. *conferta t o t a urbe deorum immortalium templa*, cap. 10. *moderatior o r a t i o fuit*, cap. 11. *nequaquam p a r Antiocho*, cap. 13. *regnum patrium prope amissum r e c e p i s s e n t. R e s p o n s u m ab senatu est*, cap. 17. *L. Iunium, C. A n t i s t i u m L a b e o n e m*, ibid. *primo q u o q u e tempore*, cap. 23. *P h i l i p p o et Antiocho devictis*, ibid. *quae non et improbos cives a l i q u a n d o*, cap. 30. *trans Nessum a m n e m*, cap. 37. *Tum S e r v i l i u s*, cap. 38. *similis e s s e i n ingrata et inimica bonis civitate velit*, cap. 39. *et quidem non h o m i n e s tantum*, ibid. *et finem e u m statuerunt*, cap. 40. *duplex c e n t u r i o n i, t r i p l e x equiti*, ibid. *ferme d u o d e c i m annos natus*, cap. 41. *ad pugnam rege c o a c t o*, et cap. 44. *obviam i r e legatis solitum*.

6) Vid. tamen, si placet, quae in praefatione Livii Hist. Lib. XXXIII. praemissa p. 34. sq. disserui. Ceterum vel propterea quod Tafelius quarto editionis nostrae volumine uti non potuit, in his annotationibus conscribendis rationem eius habere supersedi.

7) Cf. quae hac de re, quam Bekkerianae quoque editioni nocuisse postea videbimus,

tertio et tricesimo Livii libro p. 35. sq. praefati sumus. Ne in iis, de quibus hic agitur, Livii libris similiter a typographo peccaretur, ipsi sedulo cavimus. Perpauca, quae in minorem Livii editionem irrepserunt, vitia ibidem p. 36. sq. correximus. Adde tamen, in eadem XXVIII, 29. *Coriolanum* pro *Corialanum*, XXXIV, 22. *quies* pro *quis*, cap. 54. *consessorem* pro *concessorem*, XXXV, 12. *Damocritus* pro *Democritus*, XXXVIII, 35. *Messallam* pro *Mesallam*, XL, 34. *tum iis* pro *cum iis*, et cap. 36. *erat* pro *erant* esse reponendum.

8) Kopitarius enim in codicis collatione XLII, 3. *rationem inire* pro *inire rationem*, cap. 42. *multo anno debita* pro *multo ante debita*, cap. 63. *aliam ob causam* pro *ab aliam causam*, XLIII, 3. et 4. *hanc iniectis tantum extitit pauor* pro *hanc iniec — — tis tantum extitit pauor*, atque XLV, 27. *ubi cum uidisset os specus* pro *ibi cum uidisset os specus*, codici perperam tribuerat. Propterea XLII, 42. in maiore Livii editione *multos annos debita*, atque XLV, 27. in eadem et minore *ubi quum vidisset os specus* scripsi, sed illi in editione altera vulgatum substitui, hoc in Melet. crit. Spec. I. p. 14. sq. retractavi. Baumgarten-Crusius maiorem Livii editionem secutus et Bekkerus a Kopitario in errorem inductus utrumque retinuerunt. Bekkerus autem ceteras quoque lectiones supra adscriptas recepit, adeoque XLIII, 3. *hanc iniectis* edidit, quum magnam huius libri partem inter syllabas *iniec* et *tis* periisse ignoraret. Ceterum Kopitarius non solum XLII, 42. et XLV, 27. mihi imposuit, sed etiam XLII, 28. ubi, quum *conpetem fuisse sui*, vocabulo *minus* omisso, ex codice enotasset, in minore Livii editione scripsi: *non compotem fuisse sui*, quod itidem retracto.

9) Bekkerus enim editioni principi XLI, 21. *aureis maculis sparsum* pro *auis maculis sparsum*, et XLIV, 4. *turrimque Eudieru* pro *turrim Eudieru* falso tribuit. Vid. quae ad utrumque locum annotavi. Multo maioris autem negligentiae culpam, ut alia taceam, contraxit in annotationibus ad XLII, 34. et 43. atque XLIII, 14. ubi *ordinem*, *queis* et *tribuni*, quae in editione principe leguntur, pro *ordine*, *quis* et *praetores* in codice reperiri perhibet.

10) Placuit hic subiicere indicem lectionum, quas Bekkerus praeter nostras emendationes tacite probatas aliorumque coniecturas nominatim commemoratas partim codicem et editionem principem, partim virorum doctorum coniecturas secutus itidem tacite recepit. XLI, 2. inermis] *inermi* Gron. — cap. 3. tunc demum] *tum demum* Crev. — cap. 6. ditione] *dicione* Cod. Sic ubique. — cap. 7. quando id bellum] Altero loco uncis inclusa. — cap. 8. Quinctius] *Quintius* Cod. Frob. 1. Sic ubique. — cap. 10. rediit] *redit* Cod. — cap. 11. obpugnarunt] *oppugnant* Cod. Frob. 1. — cap. 13. captus is ager] *captus ager* Cod. — cap. 14. retulisset] *rettulisset*. Hoc alibi in codice legitur, et hic quoque in eo reperiri suspicor. — cap. 15. de his rebus] *de iis rebus* Cod. — cap. 21. cum iusto numero] *cum* uncis inclusum. — cap. 22. simultatum] *simultatium*. — cap. 24. facturus fuerat] *facturus fuerit* Sigon. — ibid. Elatiae] *Elateae*. — ibid. ne interdictione finium

nostrorum et nos quoque regno arceamus] *ne interdictione finium nostros quoque et nos regno arceamus* Cod. Hoc vulgato utique est praeferendum. — cap. 25. mensium] *mensum* Cod. — cap. 26. secuti evaserunt] *ubi evaserunt.* — cap. 27. et ova ad notas] *et ova ... ad notas.* — ibid. se locaturum ipsorum pecunia] *se locaturum ... ipsarum pecunia* Cod. — XLII, 3. hae tegulae] *eae tegulae* Cod. quem et ipse in altera editione secutus sum. — ibid. inire rationem] *rationem inire.* Vid. supra not. 8. — cap. 6. Alexandriam] *Alexandream.* — cap. 7. Statiellati] *Statellati* Frob. 1. — cap. 8. Statiellates] *Statellates* Frob. 1. — ibid. recuperari] *reciperari* Cod. — ibid. arma primo quoque tempore fieri] *arma quoque tempore fieri* Cod. Frob. 1. — cap. 9. Romam rediit] *Romam redit* Cod. — cap. 10. decernuntur] *decernunt.* — cap. 14. ferocia animi Harpali] *ferocia Harpali.* — cap. 16. Eumenem] *Eumenen* Cod. — cap. 18. aliquamdiu] *aliquandiu* Frob. 1. — cap. 19. educandum] *educendum* Cod. — cap. 20. pluisse] *pluvisse* Cod. Frob. 1. Sic ubique. — cap. 21. Statiellatibus] *Statellis.* — ibid. Statiellis] *Statellis* Frob. 1. — cap. 22. detrectationi] *detractationi* Cod. — cap. 23. cui nihil pensi sit] *qui nihil pensi sit.* Typographum peccasse apparet. — cap. 24. unde praeterea] *unde ... praeterea.* — ibid. urbes] *urbem* Cod. Hoc praestat. — cap. 25. Persi] *Persei* Cod. Sic ubique. — ibid. Eumenem] *Eumenen* Cod. Frob. 1. Sic et alibi. — cap. 26. Alexandria] *Alexandrea.* — cap. 28. iussum erat] *e re publica visum erat.* Bekkerus huius loci emendationem a me inchoatam recte absolvit. — cap. 29. Misagenemque] *Misagenenque* Cod. Frob. 1. — cap. 31. atque ibi recognosceret] *atque ibi recognoscere.* Cod. *adque* pro *atque.* — ibid. legeret] *legere* Cod. — ibid. daret] *dare.* — cap. 32. senatus, non quid] *senatus [non] quid.* — cap. 34. decumum] *decimum.* — cap. 37. Elii] *Elei.* — cap. 39. Larissa] *Larisa* Cod. Sic ubique. — cap. 42. Pylleon] *Pteleon.* — cap. 44. abfuit] *afuit* Cod. — cap. 46. disiungeret] *diiungeret* Cod. Frob. 1. — cap. 47. denunciare etiam; interdum locum finire] *denuntiare etiam interdum, finire* Cod. — ibid. nova haec] *nova ea.* — cap. 48. nactus] *nanctus* Cod. — cap. 49. praecipue tamen] *praecipue* Cod. — cap. 50. aliquamdiu] *aliquandiu.* — ibid. recuperare] *reciperare* Cod. — ibid. dum integrae res] *dum integrae* Cod. — ibid. ita ut viro forti dignum sit] *ut viro forti dignum sit.* — cap. 52. fallaci deinde conloquio] *fallaci dein colloquio* Cod. — cap. 53. Larissaeis] *Larisaeis* Cod. — cap. 54. Elatiam] *Elateam.* — cap. 58. misit] *emisit* Grut. — ibid. eiusdem gentis] *et eiusdem gentis* Drak. — cap. 59. concitati] *ita concitati* Cod. — ibid. disiunctus] *diiunctus* Cod. Frob. 1. — ibid. debellatum esset] *debellatum esse* Walch. — cap. 61. pleraque] Uncis inclusum. — ibid. ante ora] *an...ora.* — cap. 63. non ob aliam caussam] *non aliam ob causam.* Vid. supra not. 8. — cap. 66. quoque] Uncis inclusum. — XLIII, 2. ad recuperatores] *ad reciperatores* Cod. — cap. 3. habeant] *habeant. hanc iniectis.* Vid. supra not. 8. — cap. 7. Mictio] *Micythion* — ibid. inter se] Pronomen *se* uncis inclusum. — cap. 8. Mictioni] *Micythioni.* — cap. 10. furto et fraude] *a fore fraudem* pro *afore fraudem.* — cap. 12. tribunos his] *tribunos iis* Cod. Frob. 1. — ibid. sexdecim] *sedecim.* — cap. 13. neglegentia] *negligentia* Frob. 1. — cap. 16. nacti sunt] *nancti sunt* Cod. — ibid. pignora] *pignera* Cod. — ibid. qui minus] *quo minus* Gron. —

cap. 20. retulere] *rettulere* Cod. Sic et alibi. — cap. 21. Phanotem] *Phanotam.* — ibid. amnis, mansit] *amnis* ... *mansit.* — XLIV, 5. transversi incumbentes tigni] *transverso incumbente tigno* Cod. — ibid. septus undique] *septis undique.* — ibid. nactis] *nanctis* Cod. — cap. 6. alterum Asclepiodotum, ubi pecunia deposita erat, ex praesidiis revocat] *alterum usque ad pathum* ... *pecunia deposita erat* ... *ex praesidiis revocat* Cod. — ibid. demigrare] *demigrasse* Cod. — cap. 7. segnitie] *segnitia* Cod. — cap. 9. regis castris] *regiis castris.* — cap. 11. in altum magnitudine] *in altus magnitudine* Cod. Haec uncis inclusa. — cap. 12, Pytho] *Phyto* Cod. — cap. 15. gentem * scirent] *gentem scirent.* — ibid. huius belli] *eius belli* Cod. Frob. 1. — cap. 18. posse ratus. Senatus] *posse. senatus.* — cap. 19, regibus vocati sunt] *regibus * vocati sunt.* — ibid. potiretur] *poteretur* Cod. — ibid. Alexandriam] *Alexandream.* Paullo post quoque *Alexandream* et *Alexandreae*, quod utrumque in codice legitur. — cap. 24. Prusiam] *Prusian* Cod. Frob. 1. in quibus paullo post *prysiam*, ut h. l. *prysian*, et *Prusiam* reperitur. — ibid. Eropon] *Hierophon.* Idem nomen Bekkerus etiam cap. 27. et 28. illi substituit. — cap. 26. sed etiam Gentii] *sed et ante Gentii.* — ibid. castris regis] *castris regiis.* — cap. 27. Adparebat in omnibus] *apparebat omnibus.* — cap. 28. hippagogos] *hippagogus* Cod. Frob. 1. — cap. 29. religione loci] *religione*, omisso vocabulo *loci.* Typographus peccasse videtur. — cap. 30. Epicadum] *Picadum.* — ibid. Caravantis] *Caravandis* Cod. — cap. 31. id quod belli caput fuerat] *id quod belli caput erat.* — ibid. coenam] *cenam* Cod. — ibid. recideret] *reccideret* Cod. — cap. 32. Androclem] *Androclen* Cod. Frob. 1. — ibid. Aeniam] *Aenean* Cod. — ibid. Milo] *Midon* Cod. Frob. 1. Sic et alibi. — cap. 34. eis praebeat] *iis praebeat* Cod. — cap. 37. detrectatione] *detractatione* Cod. — ibid. detrectans] *detractans* Cod. — cap. 40. aut consule, aut rege, rege, quod nec fessos] *aut consuli aut regi* ... *quod nec fessos* Cod. — ibid. consule] *consuli* Cod. — ibid. M. Sergius] *M'. Sergius* Sigon. — ibid. id iumentum] Haec verba uncis inclusa sunt. — cap. 42. tenebant] *tenebat* Gron. — cap. 43. In regia] *in regiam* Cod. — XLV, 1. diceret, * laureatas] *diceret, laureatas.* — cap. 2. ingressi sunt] Verbum *sunt* uncis inclusum. — cap. 3. quando finito] *quando * finito.* — cap. 5. pollutam homicida sanguine] *pollui eam homicida* ... *sanguine* Cod. — ibid. Theondam] *Theondan* Cod. Frob. 1. — ibid. subiit] *subit* Cod. — cap. 6. Oroandes iam tum, dum pecunia deferretur, primis] *Oroandes tantum dum pecunia deferretur* .... *primis* Cod. — aliquamdiu] *aliquandiu* Frob. 1. — cap. 8. quid vesper ferat] *quid vesper * ferat.* — cap. 10. eo quoque] *eo*, vocula *quoque* omissa. Haud scio an typographus peccaverit. — cap. 11. frustra tentatis moenibus Alexandriae abscesserat] *frustra tentatis moenibus Alexandrea abscesserat* Gron. — ibid. cederet] *cederetur.* — cap. 13. quae senatui placuisset] *senatui quae placuisset* Cod. — cap. 15. si tribu movere posset] *si tribu movere possit* Drak. — ibid. senatu emoti sunt] *senatu moti sunt.* — ibid. tribu remoti] *tribu moti.* — ibid. bimensis] *sex mensum.* — cap. 16. plurerat] *pluverat.* — cap. 17. his consularibus] *iis consularibus* Cod. — cap. 19. militaverunt] *militaverant* Cler. — ibid. sollicitatumque iam animum] *sollicitatumque* [*iam*] *animum.* — cap. 23. ut ne ab utraque parte] *ut ne ab utra quidem parte.* — cap. 24. vos iudicate] *vos iudicatis* Cod. — ibid.

quo nunquam iudicabimus] *quod nunquam iudicabimus* Cod. et Frob. 1. in quibus *iudicavimus* legitur. — cap. 25. si cui opus esset] *si quo opus esset.* — ibid. abscinderent] *absciderent* Cod. Frob. 1. Idem in altera editione restitui. — ibid. Alabandenosque] *Alabandensesque.* — cap. 27. Amphilochus] *Amphiaraus.* — cap. 30. commerciis interruptis] *commercio interruptis.* — ibid. teneat] *tenuit* Walch. — cap. 31. Callicratem] *Callicraten* Cod. — cap. 32. aequae] *aeque* Cod. — cap. 34. omne aurum] *aurum omne.* — cap. 35. hi quoque] *ii quoque* Cod. — ibid. neglegenter] *negligenter* Frob. 1. — cap. 36. His incitatis] *iis incitatis* Cod. — cap. 37. quam triumphatum est] *quam triumphatum esset* Gron. — ibid. privatum eum visurus esset] *privatum cum visurus esset* Sigon. — ibid. deferret] *deferre* Sigon. — ibid. interrogaret] *interrogare* Sigon. — ibid. diceret] *dicere* Sigon. — ibid. accusaret] *accusare* Sigon. — cap. 38. qui post eos triumphaverunt] *qui ... triumphaverunt* Cod. — cap. 39. non triumphabitur? Quod si] *non triumphabitur? ... quodsi.* — ibid. opimae praedae] *opima praeda* Gron. — cap. 41. lustra sacrificavi] *lustris sacrificavi.* — ibid. curru in *** ex Capitolio] *currum ... ex Capitolio* Cod. Frob. 1. — cap. 43. denarium tria millia] *denarium decem tria milia* Cod. — ibid. Illyrii argenti] *Illyrici argenti* Frob. 1.

11) Hi libri libellique ita sunt inscripti: 1) Epistola ad Franc. Goellerum, quae adiecta est libro: T. Livii Patavini Historiarum Liber tertius trigesimus; auctius atque emendatius cum Fr. Iacobsii suisque notis ex cod. Bambergensi edidit Franc. Goeller. Francofurti ad Moenum, 1822. p. 411—487. — 2) Commentatio de locis Gellii Noctt. Att. Lib. VI. cap. 1. et Lactantii Epit. Inst. div. cap. 29. Misenae, 1827. — 3) Censura Livii ab Immanuele Bekkero Berolini a. 1829. et 1830. editi, quae in Ephemerid. literar. Ienens. a. 1831. Nr. 153—156. p. 257—287. legitur. Hanc compares velim cum Weissenbornii censura Car. et Fr. Zimmermanni commentariis: *Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft* a. 1840. Nr. 7—11. p. 61—92. inserta. — 4) Vannus critica in inanes Fr. Guil. Doeringii paleas, quae Seebodii et Iahnii: *Archiv für Philologie und Pädagogik*, Vol. I. Part. I. p. 50—65. inclusa est. — 5) Meletematum criticorum Spec. I. in quo locus Liv. XLV. cap. 27. et 28. de L. Aemilii Paulli itinere per Graeciam facto tractatur. Misenae, 1832. — 6) Commentatio de C. Sallustii Crispi Historiarum Lib. III. Fragmentis, ex bibliotheca Christinae, Suecorum reginae, in Vaticanam translatis, atque Carminis Latini de bello Actiaco sive Alexandrino Fragmenta, ex volumine Herculanensi evulgata; iterum edita Misenae 1835. His adde Guil. Weissenbornii Lectionum Livianarum Part. I. II. Isenaci, 1833. et 1840. eiusdemque Observationes Livianas Max. Fuhrii et Fr. Zimmermanni commentariis: *Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft* a. 1841. Nr. 103. et 104. p. 853—859. insertas. — 7) Epistola ad Io. Casp. Orellium, quae C. Velleii Paterculi Historiae Romanae libris, Misenae 1836. a me editis, praemissa est. — 8) T. Livii ab urbe condita Liber tricesimus tertius ad codicis Bambergensis et editionum antiquarum fidem denuo editus. Accessit varietas lectionum in libris XXX—XXXII. et XXXIV—XXXVIII. ex codice Bambergensi diligenter enotata. Misenae, 1839.

12) Alschefskius enim in commentatione: *Ueber die kritische Behandlung der Geschichtsbücher des Titus Livius. Berlin,* 1839. p. 13. sq. de codice Laurishemensi seu Vindobonensi haec scripsit: *Dass die älteste Handschrift des Livius die in Wien befindliche Laureshamer der fünf letzten uns gebliebenen Bücher sei, ist bekannt. Hier ist also der Anfang zu machen: denn obgleich der erste Druck nach ihr veranstaltet, auch in neueren Zeiten mehrfache Berichtigungen aus ihr entlehnt sind, so ist doch anzunehmen, dass auch dem aufmerksamen Leser noch Manches in der schwer zu entziffernden Schrift, was zur Berichtigung des Textes im Allgemeinen von Wichtigkeit sein werde, möchte entgangen sein, abgesehen davon, dass man dabei bis jetzt auf jene vorher angedeuteten Untersuchungen über die besonderen sprachlichen Eigenheiten des Schriftstellers noch so gut als gar nicht geachtet hat: und gerade das ist es, was dem Kritiker dies vor 1300 Jahren geschriebene Document so interessant und wichtig macht. Da wir über diesen Theil des Livius keine weitere Handschrift besitzen, so sind zwar alle Untersuchungen an jenes Buch allein zu knüpfen: aber es wird von einer anderen Seite aus lehrreich sein, eine genaue Vergleichung desselben mit den Frobenschen Ausgaben vorzunehmen, um dadurch theils die grössere oder geringere Gewissenhaftigkeit kennen zu lernen, mit der gelehrte Kenner jener Zeit die zum Druck bestimmten alten Handschriften behandelten, theils um so auch hier das endlich auszuscheiden, was dem Schriftsteller und was den Herausgebern an der Arbeit gehört.*" Quanta autem diligentia in codicibus antiquis penitus excutiendis sit adhibenda, et satis constat, et insigni exemplo nuperrime demonstravit Mützellus incommentariis menstruis: *Zeitschrift für das Gymnasialwesen. Berlin,* 1848. p. 219. sqq. ubi de codice Corbeiensi sive Florentino, itidem unico et maxime corrupto, qui Taciti annalium libros sex priores complectitur et nostra aetate post Furiam a Bekkero et Baitero cum editis denuo collatus est, perquam accurate exposuit. Praeterea cf. Studia critica in Mediceos Taciti codices. Scripsit Car. Heraeus. Pars prior. Cassellis, 1846. Eo certius igitur speramus atque confidimus, Alschefskium in codice Vindobonensi conferendo diligentius esse versatum, quam in codice Bambergensi altero, cuius lectiones a vulgatis diversas protulit in libello ita inscripto: Titi Livi ab urbe condita liber tricesimus ad codicum manu scriptorum fidem emendatus. Berolini, 1839. Primum enim, licet nostram libri tricesimi tertii editionem eodem anno absolutam Praefat. p. 6. commemoraverit, ne verbo quidem significavit, ultimum illius codicis folium alteri multo antiquiori et praestantiori in praefatione libro nostro praemissa p. 7. sq. a me vindicatum esse hoc modo: „Sed haec leviora: illud haud paullo gravius, quod Goellerus non vidit, folium 127. cuius paginam aversam librarius propterea vacuam reliquit, quod in adversa decadis tertiae liber ultimus finitur, antiquioris codicis particulam esse cum recentiore, ut supra memoravi, minus apte coagmentatam. Primum enim eadem est, quae in antiquiore codice reperitur, membranae bonitas et crassitudo; deinde hoc folium cum quaternione vicesimo tertio non cohaeret, sed a bibliopego agglutinatum est; tum adversa huius folii pagina codicis antiquioris paginas altitudine pariter ac latitudine ad amussim aequat; deinde huius paginae columna altera eaque integra, alterius enim partem superiorem a priore librario

vacuam fuisse relictam diximus, non triginta quinque, ut in codice recentiore, sed duodequadraginta, ut in codice antiquiore, versibus constat; denique literarum ductus, orthographia, scripturae compendia et correctiones mendorum ab iis, quae in antiquiore codice reperiuntur, ne tantillum quidem differunt. Quae quum ita sint, scripturae diversitatem in hac codicis parte repertam atque a Goellero p. 354. sq. parum diligenter enotatam, ex qua Lib. XXX, 44. lectionem: *Necesse est, in vos odio vestro consultum ab Romanis credatis,* a Drakenborchio coniectura praeceptam restitui, suo loco reponere non dubitavi." Deinde autem, id quod caput rei est, Alschefskius in libello supra commemorato p. 25. et libri tricesimi editione lectiones complures, quas hic referre nihil attinet, ex codice Bambergensi ita protulit, ut a me pariter ac Goellero magnopere discreparet. Quod quidem miratus et mihimet ipsi diffisus, quum Ern. Guil. Fabrum, de Livii interpretatione meritissimum et bonis literis praematura morte ereptum, codicem illum Bambergensem, a Goellero parvi aestimatum, cum exemplo Drakenborchiano diligenter contulisse, ex eius Emendationibus Livianis Norimbergae 1842. editis intellexissem, rem totam ad amicum detuli, et, ut iudicium suum interponeret, ab eo facile impetravi. Illico enim mihi per literas Norimbergae a. d. VIII, Cal. Octobr. a. 1843. datas haec rescripsit: *Ich kann Ihnen die Versicherung geben, dass die Differenz zwischen dem von Ihnen verglichenen Blatte aus dem* 30. *Buche des Livius und Alschefski's Kollation derselben Stelle lediglich auf der Ungenauigkeit der letzteren beruht, während die Ihrige, wie ich mich überzeugt habe, durchaus nichts zu wünschen übrig lässt. Ueberhaupt habe ich in demselben Buche nicht eben wenige Nachlässigkeiten Alschefski's gefunden. So ist es z. B. doch sehr auffallend, wenn er (ich nehme nur das erste beste Beispiel, welches mir in meiner Kollation in die Augen fällt) K.* 26. *Z.* 19. *nach dem Bamberger Kodex* cunctatior *aufnimmt, während dieser Kodex ganz deutlich* cunctator *giebt. Aehnliches findet sich öfters. Ich glaube daher nicht, dass seine nun wahrscheinlich in kurzem erscheinende Ausgabe der dritten Dekade genauere Angaben über den Bamberger Kodex überflüssig machen werde.* Quae quum ita se habeant, ut omnis omnino scripturae diversitas a Fabro ex codice Bambergensi diligentius enotata primo quoque tempore edatur, magnopere optandum est.

LIB. XLI.

Cap. I. qui tuendam viginti navibus mari superiore Anconam, velut cardinem haberent] Ex certissima Florebelli vel potius Mureti coniectura cum Rupertio scripsi: *qui tuendae viginti navibus maris superi orae Anconam velut cardinem haberent. B.* Vulgatum enim, licet Lucan. II, 400. *Inferni superique maris* legatur, vel propterea servari nequit, quod latinae consuetudini, ex qua mare Hadriaticum et Tuscum sive Tyrrhenum nusquam *mare superius* et *inferius*, sed ubique *mare superum* et *inferum* dicitur, aperte repugnat. Quis igitur Livium, qui et ipse V, 33. utriusque maris nomina explicans *mari supero inferoque* posuit, et non solum XLV, 2. *ad mare superum*, sed etiam XL, 42. scripsit: *Ex regno eius omnes naves esse, quae superi maris oram depopulatae essent*, hoc loco *mari superiore* posuisse, sibi persuaderi patiatur? Huc accedit, quod *tuendae* in codice exstitisse et a Grynaeo, quum *superiore* pro *superi orae* in eodem invenisset, temere in *tuendam* mutatum esse, perquam probabile videtur. — in Istriamque suum praesidium stativum] Gronovii coniecturam secutus hunc locum, ubi Bekkerus codici *Istriamque* pro *Histriamque*, ut alibi scribitur, falso tribuit, ita edidi: *in Istriam versum praesidium stativum, repentina cohors Placentina, opposita inter mare et castra. B.* Quod Walchius Emendatt. Liv. p. 105. suasit *in Istriam obversum*, licet eodem redeat, Gronovianae emendationi non praetulerim. Vide tamen, an totus locus, mutata verborum interpunctione, ita sit scribendus: *in Istriam quesitum* sive *quaesitum*, id est comparatum, *praesidium stativum. Repentina cohors Placentina opposita inter mare et castra: et, ut idem aquatoribus* etc. Sic Livius II, 43. *pestilenti exemplo remedia quaerere*, atque Cicero Manil. cap. 24. *praesidia periculis quaerere* dixit, et Liv. XLII, 5. in cod. Vindob. *adque ob id et quesitum* pro *atque ob id requisitum*, et cap. 26. itidem *quesitum* pro *quaesitum* legitur. Atque id ipsum, quod cohors illa Placentina dicitur *repentina*, id est *subitaria* sive *raptim conscripta*, ut Livius alibi loquitur, hanc coniecturam aliquatenus comprobare videtur.

Cap. II. nec quidquam eos, quae terra marique agerentur, fallebat] Recte Drakenborchius, quum *quae* non habeat, quo referatur, nec ad *quidquam*, id quod Doeringio placuit, *eorum* facile possit subaudiri, scripturae compendium pro *eorum* poni solitum in *eos* abiisse, suspicatus esse videtur. Cf. Liv. XXII, 28. *neque enim quidquam eorum, quae apud hostes agerentur, eum fallebat*, ubi tamen verbum

fallebat non absolute, ut alibi, sine casu ponitur, sed cum pronomine *eum* coniungitur. — eorum turba inermis frequens inter castra et mare mercantium] Lallemando et Rupertio obsecutus ex certissima Scaligeri emendatione, quam Gronovius, id quod Bekkerus annotare debebat, ita absolvit, ut ultimam vocabuli *inermis* literam delendam censeret, scripsi: *forum turba inermi frequens inter castra et mare mercantium. BC. B.* Contrario Grynaei errore infra cap. 9. *forum* pro *eorum* in Frob. 1. reperiri, Perizonium non fefellit. De crebra literarum *E* et *F* permutatione, quam Drakenborchius exemplis probavit, vide nostras Annotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 51. — direptis, quae ibi fuerunt] Facere non potui, quin ex Drakenborchii coniectura in minore Livii editione scriberem: *direptisque, quae ibi fuerunt,* adiecta copula, quam hic quoque, ut alibi saepissime, proximum *quae* intercepisse videtur. Praeter ipsum Drakenborchium conferas velim, quae in Melet. crit. Spec. I, p. 12. et in Annotatt. ad Liv. XXXIII, 13. p. 27. hac de re dixi, atque locis ibi allatis adde XLV, 45. ubi *turbaeque* pro *turbaque quae* in codice reperitur.

Cap. III. Tunc demum nuncius ad tertiam legionem revocandam] Recte Weissenbornius, nisi me omnia fallunt, in Lectt. Liv. Part. I. p. 17. vocabulum *missus* a me quoque iam diu desideratum, licet Gronovius ad h. l. et in Diatr. in Stat. cap. 29. Tom. I. p. 298. ed. Hand. nihil eiusmodi deesse existimet, Livio reddendum et scribendum censuit: *Tunc demum nuntius missus ad tertiam legionem revocandam;* praesertim quum *missus*, ut XLII, 56. *agrum*, quod in ed. Paris. a. 1573. adiectum est, a *vastandum*, cap. 61. *numerum*, quod Grynaeus addidit, a *patrum*, et XLIV, 1. *regnum*, quod idem supplevit, a *partum*, ab antecedenti *nuntius* facile potuerit intercipi. Nec minus recte idem in nota subiecta: „Cur, inquit, h. l. Bekkerus ediderit *tum demum*, cum codex *tunc* habere videatur, quod Kreyssigius retinuit, id eo minus intelligo, quod idem XLIV, 44, 3. retinuit et XLIV, 8, 4. *tunc tandem* edidit. cf. Handii Turs. II. p. 254.“ Sicuti enim Grynaeus et Bekkerus his in locis codicis auctoritatem, cui Drakenborchius, vel potius typotheta, quo ille utebatur, XLIV, 8. pariter atque infra cap. 18. et 26. atque XLII, 9. et 42. temere adversatus est, mecum secuti sunt, ita etiam hoc loco, de quo agitur, Grynaeus ex ipso codice *tunc demum*, cui iam Crevierius *tum demum* perperam substituit, edidisse videtur.

Cap. IV. Et parte alia] Modius edidit: *E parte alia*, pro quo, si quid mutandum, *Ex parte alia* reponere praestiterit. Librarii enim saepius *ex* atque *et*, quam *e* atque *et* permutarunt. Vid. Annotatt. ad Liv. XXXIII, 33. et 43. p. 81. et 107. atque Handii Tursellin. Vol. II. p. 662. — memores fuerunt fugae] Grynaeus ex codice dedit *fuerant*, cui Modius *fuerunt* substituit. Hoc recentiores Livii editores ad unum omnes servarunt: nos in altera editione illud revocavimus. Etenim Istrorum pauci, qui modice vinosi erant, iam tum memores fuerant fugae, quum ceteri, armorum hostiumque obliti, avidius vino ciboque corpora onerarent.

Verba: *qui modice vinosi erant*, utrique lectioni ita conveniunt, ut pauci illi Istrorum propterea, quod minus essent in vinum effusi, vel antea vel nunc demum fugae memores fuisse dicantur. Sic Liv. II, 59. *Nemo ullius nisi fugae memor*. Namque vocabulum *vinosus*, quod hoc loco, ut alibi *vinolentus*, pro *ebrius* positum esse Gesnerus, Forcellinus aliique lexicographi falso existimant, idem est quod *vini avidus*, de quo Liv. IX, 30. velim conferas, atque haud multum differt ab *ebriosus*, quod pro *ebrius* poni non posse apparet.

Cap. V. equitibus ducentis quinquaginta] Gronovius *equitum*, quod Grynaeus ex codice dederat, recte in *equitibus* mutavit; praesertim quum infra cap. 21. pro *equitibus*, quod Grynaeus restituit, itidem *equitum* in codice reperiatur. — militibusque colonis imperatis] Ex Douiatii coniectura, ut coloniae civitatibus Galliae responderent, pro *colonis*, quod Grynaeus edidit, *coloniis* ponere non dubitavi. *BC. B.* Ita in cod. Vindob. aliisque sexcenties peccatum est. Dispar est ratio loci Liv. XXVII, 38. *Itaque colonos etiam maritimos, qui sacrosanctam vacationem dicebantur habere, dare milites cogebant.* Hic enim *coloni* non simpliciter commemorantur.

Cap. VI. nec eis invalido exercitu] In minore Livii editione non solum hoc loco, ubi Grynaeus *eis* ex codice edidisse videtur, sed etiam XLII, 6. 15. 48. XLIV, 7. 16. 34. XLV, 34. 42. et in ceteris Livii libris constanter *iis* pro *eis* posui. Quod factum nollem. Nam hac quoque in re codicum auctoritati obsequendum. Recte igitur Bekkerus *eis* ubique retinuit et tantum XLIV, 34. scripsit: *ut bene gerendae rei occasionem iis praebeat.* Ibi enim *is*, ut alibi, pro *iis* in codice legitur. — Fuisse sub ditione Antiochi] Drakenborchius maluit: *Fuisse se sub ditione Antiochi.* Nec intercedo, quo minus ita scribatur. Vid. quae ad XLII, 38. annotavi. — iuxta se coniuges liberosque vexari] Hoc Sigonius, quum Grynaeus *iustos se coniuges liberosque vexari*, ex codice edidisset, reponendum esse suspicatus est, eique editores Livii ad unum omnes obsecuti sunt. Weissenbornius contra Lectt. Liv. Part. I. p. 18. not. 4. pro *iustos*, quum librarium praecedens *iustum* in errorem induxisse videatur, coll. XXIX, 8, 8. XXX, 15, 13. et XLIII, 7, 11. vel *ipsos*, vel *viros* scribendum esse existimavit. Illud equidem praetulerim. Vide tamen Annotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 78. ubi vocabula *iuxta* et *iusta* saepissime permutari docui. — alicuiquam] Quamquam Fr. Gronovius, cuius auctoritati Iacobus filius nimium tribuit, pronomen *aliquisquam* sermoni latino vindicare conatus annotationi suae subiecit: „Non igitur necesse est Heraldi *alii cuiquam*“: hoc ipsum tamen, quod in codice *alicuiquam*, ut XLII, 40. *aliquam* pro *alii quam*, scriptum atque a quibusdam Livii editoribus in *alicui quam* et *alicui, quam* corruptum erat, reponere non dubitavi; praesertim quum idem ab Heindorfio Cic. de Nat. Deor. II, 65. optime restitutum esse meminissem. Praeter Baumgarten-Crusium et Bekke-

rum, quorum ille aperte, hic tacite mihi obsecutus est, postea consentientem habui Madvigium, qui in Opp. Acad. Part. I. p. 465. meae sententiae suam adscripsit, simulque pronomen *aliquispiam* Cic. pro Sest. cap. 29. Tusc. Disp. III, 9. ubi Klotzius quoque Gronovii coniecturae *aliquodpiam* non nihil tribuisse videtur, et de Divin. II, 50. non inferendum esse docuit.

Cap. VII. de his, quae in Istria essent acta] In minore Livii editione scripsi *de iis*, quod haud dubie praestat vulgato. — quando id bellum populus Romanus iussisset] Verba *id bellum* per errorem a librario repetita, quae Heusingerus tuetur, de Gronovii sententia in altera editione delevi. Bekkerus verba *quando id bellum*, ut spuria, uncis inclusit. Et potuit sane librarius non solum ab altero *quando* ad alterum, sed etiam a *decrevisset* ad *transisset* aberrare. — quod peditum, quod equitum in castris fuerit] His Crevierius probabili admodum coniectura ductus censet adiici debere *caesum*, quod facile potuit intercipi a sequentibus: *ceteros inermes fusosque*, pro quo Perizonius maluit *effusosque*, quod magnopere placet.

Cap. VIII. C. Quinctius Flamininus] Grynaeus edidit: *C. Quintius Flaminius*, cui Frob. 2. non hic tantum, sed etiam XLII, 34. atque XLV, 42. et 44. recte *Flamininus* substituit. Illud enim est nomen gentilitium, hoc cognomen, quod non dubito, quin hic quoque, ut alibi, in codice exstiterit. — C. Mummius] Sigonio auctore Crevierium, Lallemandum et Rupertium secutus scripsi *L. Mummius*. *B.* — L. Minucius Thermus] Huic nomini, quod per appositionem adiectum esse Doeringius sibi, non aliis persuasit, Clerico, Crevierio et Rupertio obsecutus copulam *et* a Dukero quoque desideratam praemisi. *B.* — quae et censores, et priores consules fatigaverunt] Ex Gronovii emendatione Clerico, Crevierio, Lallemando et Rupertio probata Baumgarten-Crusius et Bekkerus *fatigaverunt*, quod Walchius, verbis *et censores* temere omissis, Emendatt. Liv. p. 73. frustra defendit, recte in *fatigaverant* mutarunt. — Summa querelarum erat etc.] De toto hoc loco conferas velim Walchii Emendatt. Liv. p. 218. sqq. et Madvigii Opp. Acad. Part. I. p. 280. sqq. — neque eo minus aut hos aut illos in delectum militum dare] Verissime Dukerus, quem in minore Livii editione secutus sum, de huius loci scriptura: „Pro *in delectum*, inquit, magis placeret scribi *in delectu*. *Dare* milites *in delectum* fortassis nusquam alibi legitur: nec absurde quis suspicetur, ultimam literam vocis *delectum* e prima sequentis temere repetitam esse.“ Similiter XLIII, 14. contrarium librarii mendum ita tollendum est, ut pro *in delectu prodibis* rectius *in delectum prodibis* reponatur. — transibant] Grynaeus ex codice, ut opinor, *transiebant* edidit, quod ferri nequit. Curio vulgatum recte substituit. Vid. Annotatt. ad Liv. XXXIII, 20. p. 48. — et, si quis ita civis Romanus factus esset] Sigonius addidit *civis non esset*, Donatius *civis ne esset*, quod uncis inclusum cum Crevierio, Lallemando et Doeringio adieci, astipulante Bekkero, qui hoc supplementum perperam Sigonio tribuit. Walchius Emen-

tatt. Liv. p. 224. *ne is esset* supplendum esse coniecit, Baumgarten-Crusius *ne is esset* addidit. Rem ad liquidum perduci non posse apparet.

Cap. IX. in lacum Martis] Cluverium et Lallemandum secutus in altera Livii editione scripsi: *in lucum Martis*. Namque probabilius est, Marti lucum potius, quam lacum fuisse consecratum. Liv. XXVII, 11. Ostiae lacus de coelo tactus inter prodigia commemoratur, quod et ipsum, nisi casu, notari non potuit. — senatusconsulto] Gronovio auctore, addita praepositione, scripsi: *ex senatus consulto. B.* — ad legem et edictum consulis senatusconsultum adiectum est] Hic codex Vindobonensis, ut supra not. 3. prooemio subiecta dixi, incipit a verbis: — *tum cōns. sc̄. adiectum est.* — qui nunc esset] Crevierium et Lallemandum secutus auctore Sigonio scripsi: *qui tunc esset. BC. B.* — apud eorum quem manumitteretur] Cod. *aput eorum quem manumitteretur.* De diversa vocabuli *apud* scriptura vid. Handii Tursellin. Vol. I. p. 406. Grynaeus ediderat: *apud forum, quem manumitteretur,* verbis: *qui nunc esset apud forum,* perperam coniunctis. Sed Perizonius iam ante, quam Lambecius, codice diligentius inspecto, Grynaeum erroris convinceret, *forum* in *eorum* mutandum esse, certissima sane coniectura perspexit. Similiter supra cap. 2. pro *eorum,* quod per contrarium librarii errorem in codice exstitisse videtur, *forum* esse reponendum, Scaligerum non latuit. Huius autem loci emendationem Crevierius ita absolvit, ut, pronomine *qui* interposito, scriberet: *apud eorum quem qui manumitteretur,* quod Lallemando astipulante recepi. *BC. B.* — ut iusiurandum daret] Non male quidem Heusingerus, cui Baumgarten-Crusius obsecutus est, voculam *ut* coll. Liv. VIII, 6, 4. et XXII, 11, 4. in *uti* mutandam esse coniecit: adversante tamen codice a vulgato non discesserim. — manu non mittere] Idem in codice legitur, ita tamen, ut scriptum sit *MITTEREN*, litera *N* adiecta, quam pro vocula *nam* a librario positam esse, Lambecius falso suspicatus est. Immo librarius per errorem, quo saepissime lapsus est, verba *non mittere* repetiturus, ne codicem litura deformaret, literam *N* lineola superimposita damnasse videtur.

Cap. X. satis sibi virium adversus duos exercitus] Vide, ne verbum *esse* interciderit, ita restituendum, ut scribas: *satis esse sibi virium* etc. Sic XLIV, 26. pro *satis esse* in codice *satisse* legitur. — non paludatus, sine lictoribus] Cod. et Frob. 1. *non paludatis lictoribus.* Locum haud dubie depravatum Gronovius recte emendavit. Simile vitium infra ter in codice reperitur. — ingessissetque probra] Cod. *ingessit sed probra,* cui Grynaeus *ingessisset probra* substituit, idemque in Frob. 2. legitur. Perperam enim, nisi forte typographus peccaverit, Drakenborchius: „Mox, inquit, *ingessit probra*, omissa copula, editi ante Modium.“ Longe tamen, quum vocula *et* a praecedenti *iactasset* intercepta esse videatur, *et ingessisset probra* scribere praestiterit. Vid. quae ad XLV, 13. annotavimus, et cf. Annotatt. ad Liv. XXXIII, 38. p. 97. — Quod quum milites consulis imperio dicto audientes

futuros esse dicerent] Cod. *quod cum militum cons. imperio dicto audientes futuros esse dicerent.* Apparet igitur et exstat, primum Drakenborchii coniecturam, ex qua, Bekkero tacite consentiente, edidi: *Quod quum illi tum consulis imperio dicto audientes futuros esse dicerent,* depravata codicis scriptura quodam modo confirmari, deinde non fuisse, cur Frob. 2. verbo *esse*, id quod Bekkerum quoque XXXIII, 49. temere fecisse memini, pronomen *sese* substitueret. Ceterum formulae *dicto audientem esse*, de qua Gronovium ad Liv. XXIX, 20, 11. velim conferas, non solum dativum personae, sed etiam dativum rei a Latinis coniungi, praeter hunc Livii locum probant Plaut. Amphitr. III, 4, 8. *eius dicto imperio sum audiens*, et Corn. Nep. Ages. cap. 4. *tanta modestia dicto audiens fuit iussis absentium magistratuum.* — cum lictoribus, paludatus profectus] Cod. et Frob. 1. *lictoribus paludatis profectus*, omisso *cum*, quod Gronovius recte addidit, simulque *paludatis* in *paludatus* mutavit. Sic infra quoque hoc ipso capite, ut alibi, Livius scripsit: *ne quid se Romae teneret, quo minus, votis nuncupatis, paludatus ab urbe exiret.* Eodem modo librarius peccavit in extrema huius capitis parte et XLV, 39. quibus locis adde XXXI, 14. ubi in cod. Bamb. aliisque *paludatis lictoribus* legitur pro *paludatus cum lictoribus*, quod iam in ed. Ascens. a. 1513. reperiri, Drakenborchius annotare neglexit. Alschefskius autem, qui XXI, 63. *paludatis inde cum lictoribus in provinciam iret*, ex codd. Put. et Colb. edidit, atque post Matth. Gesnerum in Thes. Lingu. Lat. Tom. III. p. 668. sq. et alios, qui a Dukero ad h. l. commemorantur, non solum imperatores, sed etiam lictores paludatos fuisse, contra Gronovium docere instituit, non audiendus videtur. — Aquileiam rediit] Cod. *aquileiā redit*, quod Bekkerus vulgato tacite substituit. Vid. quae dixi ad XLV, 44. ubi *adit* in *adiit* mutavi. — paludatus, cum lictoribus] Cod. et Frob. 1. *paludatis lictoribus*, omisso *cum*, quod Gronovius hic quoque, ut supra, recte adiecit et *paludatis* in *paludatus* mutavit.

Cap. XI. Nesattium] Cod. *et mattius.* Ex Cluverii emendatione Bekkero quoque probata scripsi *Nesactium*, quod Istriae oppidum Plin. Hist. Nat. III, 19. commemoratur. Alii aliud nomen, si placet, ex corrupta codicis scriptura eruant. — oppugnarunt] Cod. et Frob. 1. *oppugnant,* quod Bekkerus, quum a Gronovio temere in *oppugnarunt* esset mutatum, recte restituit. Ceterum Kopitarius pro *ui oppugnant* in codicis collatione perperam *in oppugnant* scripserat.

Cap. XII. prospere res gestae] Cod. *prospere res gestia*, corr. *gesta*, quod recepi. *BC. B.* Grynaeus enim, licet ultima vocabuli *gestae* litera a sequenti *exercitum* facile potuerit absorberi, perperam a codicis scriptura discessisse videtur. Utrumque tamen recte dicitur. Liv. XXIII, 30. *quod in Italia prospere rem gessisset*, et XL, 16. *quia prospere ibi res gesserunt.* — Ibi cum his acie dimicatum] Haud scio an

cum iis sit scribendum. Paullo post Kopitarius pro *xu*, id est *quindecim*, in codicis collatione posuerat *xu*, id est *duodecim*.

Cap. XIII. Bovem in Campania locutum] Ex Iac. Gronovii coniectura, quam Clericus, Crevierius et Lallemandus probaverunt, scripsi *locutam*. *BC*. *B*. Vulgato adversantur proxima: *et in Campania bos alenda publice data*. — Lunam] Cod. *una*, cui Grynaeus illud substituit. Postea Frob. 2. pro *Lunam* exhibuit *Lucam*, quod a Drakenborchio ad h. l. et Ruhnkenio ad Vellei. I, 15. probatum illi praetulit Baumgarten-Crusius, quem in minore Livii editione secutus sum. Nollem factum. Madvigius enim Opp. Acad. Part. I. p. 287. sq. vulgatum recte defendisse videtur; praesertim quum Livius infra cap. 19. *Lunam Pisasque* et XLV, 13. *Pisanos Lunensesque legatos* coniunxerit, id quod Drakenborchium praeteriit. — de Ligure captus is ager erat] Cod. *de ligures captus ager erat*. Propterea Bekkerus omisit pronomen *is* a Grynaeo adiectum, quod Livius et alibi addidit, veluti XXXI, 45. *continentis Atticae is locus est*, XXXIII, 14. *Stymphaliae terrae is locus est*; XLI, 1. *imminet mari is lacus*, et XLIV, 26. *Paeoniae is locus est*. Vid. tamen Drakenborch. ad Liv. XL, 57, 3. et locis ab eo allatis adde XLIV, 2. *Lapathus vocatur locus*. — L. Egilius] Cod. *legibus*. Nomen *Egilius* Drakenborchio recte suspectum fuit. Quid igitur? Scribe: *M. Aemilius Lepidus*, qui infra cap. 27. et alibi a Livio commemoratur. Vides enim, quam facile nomina *M. Aemilius* a praecedentibus *P. Aelius* potuerint intercipi.

Cap. XIV. et coloniam ex hostibus eripere] Recte, nisi coniectura fefellit, pro *eripere* in altera editione scripsi *recipere*. Nam cap. 16. de eadem re Livius: *Ante triduum*, inquit, *quam oppugnare coeperat, receptam ex hostibus colonis restituit*. Similiter etiam XXIX, 20. *recepta ab hostibus Hispania* dicitur. Diversa est ratio locorum V, 46, *repeti patriam eripique ex hostium manibus*, et cap. 51. *quid obsessam ex hostium manibus eripuimus?* Neque tamen nego, verba *hostium manibus* hic ita coalescere potuisse, ut in *hostibus* abirent. Cf. Annotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 81. — ne Istri quoque idem] Cod. *ne histri quidem*. Vocabulum *quoque*, quum non *quod Ligures*, sed *quod et Ligures* sequatur, ab hoc loco alienum est. Propterea, quum voculae *idem* et *quidem*, ut alibi, ita etiam Liv. VI, 20. sint permutatae, et librarius particula *ne* facile in errorem potuerit induci, *ne Istri idem* scripsi, omisso *quoque*, quod Grynaeus perperam inseruit.

Cap. XV. de his rebus] Cod. *de iis rebus*, quod Bekkerus illi recte substituit. — quum templo egressus esset] Bekkerus haec annotavit: „*egressus* codici videtur deesse.“ Sed salva res est. Kopitarius enim hoc vocabulum, quod in codice non desideratur, pariter ac verbum *immolavisset*, quod paullo post legitur, in codicis collatione omiserat. — bovis sescenaris] Cod. *uouisse scenaris*. Bekkerus igitur codicem pro *sescenaris* nihil nisi *scenaris* offerre, falso perhibet. Vulgatum, in

quo explicando interpretes frustra elaborarunt, recte emendavit Graevius, cui obsecutus scripsi *bovis sexcenarii*, id est *sexcentarum librarum*. *BC. B.* De hoc loco in Annotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 78. sqq. copiosius exposui. — defluxisse] Hoc de verissima Perizonii sententia in *diffluxisse* mutavi. *BC. B.* — iecur omne inenarrabiliter absumtum] Cod. *iecur omne inenarrabilitate absumptum.* Spaldingius quidem adverbium *inenarrabiliter*, quod pariter atque *ineffabiliter* et alia id genus ipsa formae novitate offendere poterat, et Livianum esse iudicavit, et verbis Quinctil. Inst. Orat. X, 1, 101. *supra quam enarrari potest*, interpretatus est. Quum autem de notabili codicis scriptura, quam Bekkerus ne verbo quidem indicavit, certior essem factus, barbarum illud *inenarrabiliter* Latio exterminandum et emendatione, uti facillima, ita certissima, quam Martyni-Laguna mihi hunc ipsum Livii locum tractanti interveniens assensione comprobavit, *iecur omne inenarrabili tabe absumptum* scribendum esse intellexi. *BC. B.* Sicuti enim Livius, qui XLIV, 5. vocabulo *inenarrabilis* usus est, non solum XL, 29. et XLI, 21. mortuorum cadavera *tabe absumpta* dixit, sed etiam XXI, 36. ubi vide quae Gronovius et Drakenborchius annotarunt, *fluentem tabem liquescentis nivis* et *tabidam nivem* commemoravit, ita eundem hoc loco bovis sexcenarii iecur, quod paullo ante *diffluxisse* dixerat, *inenarrabili tabe absumptum* dixisse, non est, quod dubites. Huc accedit, quod Iulius Obsequens, Livium auctorem secutus, de Prodig. cap. 64. eandem rem ita narravit: *Quum immolassent victimas consules, iecur extabuit.* Atque etiam Festus s. v. *monstrum*, pro monstro habendum esse dixit, *iecur quum distabuit in coquendo*, et Lucanus I, 621. de Arrunte haruspice: *Cernit tabe iecur madidum.* — Gracchum eam provinciam pacare, et] Ex Gronovii coniectura admodum probabili, copula *et* in pronomen *ei* mutata, *pacare: ei* scribere non dubitavi. *BC. B.* De creberrima harum vocularum permutatione praeter Drakenborchium ad h. l. vid. Annotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 102. et ad Liv. XXXIII, 31. p. 76. — in eadem verba iureiurarunt] Librarius, quum paullo ante *iureiurando* pro *iusiurandum* posuisset, hic ita peccavit, ut *iureiurarunt* scriberet pro *iurarunt*, quod restitui. *B.*

Cap. XVI. ante diem tertium Nonas Maii] Cod. *ante diem III. non. mai.* Iam Drakenborchius vidit, non *Nonas Maii*, quod ex scripturae compendio subortum esse apparet, sed *Nonas Maias* esse scribendum. *BC. B.* — edicere. comitia] Recte Bekkerus verbo *edicere* pro maxima minimam interpunctionem subiecit. — uti pontifices censuissent] Kopitarius codici primum *ut ni*, deinde *ut in* tribuit. — Latinarum instaurationes] Immo vero *instauratio*, ut V, 52. *instauratio sacrorum auspiciorumque renovatio. B.* Semel enim Latinae erant instauratae. Causa erroris in vocabulo *religiones*, quod praecedit, quaerenda videtur.

Cap. XVII. stipendiariis veteribus] Cod. *stipendiaris ueteribus.* Vocabulum

veteribus Kopitarius in codicis collatione omiserat. — Eodem] Cod. *eodem ipsas,* quod ex interpretamento *Pisas* ortum esse docet cap. 14. ubi in cod. Vindob. *ipsa,* ut XXXV, 3. in cod. Bamb. *ipsas,* pro *Pisas* legitur. Grynaeus igitur recte omisit. — Haec olim placuerunt. Nunc nomen *Pisas* loco movere nolim. Vid. quae ad XLII, 47. annotavi.

Cap. XVIII. a quo duce se meminerant] Kopitarius non *duces,* quod in codicis collatione legitur, sed *duce se* in codice reperiri testatur. — ad mille et quingentos] Cod. *ad* ∞ *et D.* Frob. 1. *ad M. et D.* Propterea *quingentos,* quod Gruterus invexit, Rupertium secutus mutavi in *quingenti. BC. B.* Vid. Gronov. ad Liv. X, 17, 8. — parietibus adfligunt] Cod. *parietibus adufigunt,* corr. *adfigunt,* quod a Grynaeo servatum Sigonius recte in *adfligunt* mutavit. Haec verba etiam Horat. Sat. I, 1, 81. et II, 2, 79. a librariis sunt permutata. — Eodem] Cod. et Frob. 1. *eodem tempore,* quorum alterum in Frob. 2. recte omissum esse, ex XXI, 17. apparet, ubi vocabulum *anno* post *eodem* in ed. Mogunt. inculcatum atque in nullo codice repertum de Gronovii sententia expunxi. — constat] Cod. et Frob. 1. *constabat,* quod revocavi. *BC. B.* Quippe Drakenborchio, ex cuius editione hic error in alias complures propagatus est, operae non paruisse videntur. — posuerit] Cod. *oporteret.* Hic aqua mihi haeret. Weissenbornius Lectt. Liv. Part. I. p. 28. sq. haec annotavit: „Et sententiae obscuritas et codicis lectio: *oporteret* pro *posuerit,* aliquid excidisse videtur significare. Verba ipsa in medio relinquens hanc sententiam a Livio scriptam fuisse putaverim: Petillium eo peccasse, quod extra templum stans in sitellam, iam latam in templum, coniecerit sortem, quam iniicere oportuit in templum ingressus.“ Ita nihil quidquam proficies. — Letum capturum esse] Cod. *laetum facturum esse,* cui Grynaeus illud recte substituisse videtur. Verba *capere* et *facere* alibi quoque sunt permutata. Cf. Annotatt. ad. Liv. XXXIII, 27. p. 65. — a fuga] Cod. *etiam fuga,* quod tamen in *etiam a fuga* mutari nolim. — ex Romano exercitu duo et quinquaginta ceciderunt] Heusingerus vertit: *vom Römischen Heere fielen zwei und funfzig.* Plures cecidisse apparet ex iis, quae praecedunt et sequuntur. Ut igitur Livius modestius mentiatur, vel *II. et L.* id est *duo milia et quinquaginta,* scribendum, vel *duo* pro *duo milia* positum esse statuendum est. Vid. Drakenborch. ad Liv. XXXI, 34, 7. Minor foret verborum ambiguitas, si Livius scripsisset: *Romanorum duo et quinquaginta.* Sic Liv. XXII, 24. *sex milia hostium caesa, quinque admodum Romanorum.* Neque tamen sumus ignari, etiam XLIV, 42. dici ex Macedonum exercitu *ad viginti milia hominum,* et ex Romanis victoribus *non plus centum* cecidisse.

Cap. XIX. Inter Audenam amnem] Recte Crevierius: „Lege omnino *intra,* ut dicatur Mucius non ultra Audenam amnem, ac proinde Apenninum, bellum gessisse.“ *BC. B.* — nec liberavit eius culpae regem, neque arguit] Cod. *ne libe-*

rare eius culpe regem neque arguit. Quo minus scribas: *ne liberaret eius culpae regem*, sequentia prohibent, nisi forte existimes, ante *neque arguit* verba *neque absolvit* intercidisse. Vid. Frotscher. ad Quinctil. Inst. Orat. X, 1, 101. et Handii Tursellin. Vol. IV. p. 124. atque cf. Liv. XLIII, 1. et 9. XLIV, 4. XLV, 3. et 8. ubi itidem *nec* — *neque* reperitur, et V, 28. ubi Livius scripsit: *quin sine mora voti liberaretur.* Weissenbornius, non improbata lectione vulgata, Lectt. Liv. Part. I. p. 15. haec addidit: „Sed fortasse etiam *liberare* potest defendi, cum saepius a verbo finito ad infinitivum Livius transeat, cf. IV, 37, 10. XLV, 41, 6. XXV, 37, 9.“ Recte quidem. Sed haec periodus, cuius membra sibi invicem accuratissime respondent, cum illis locis comparari non potest. — ut sanctum haberet foedus, quod ei cum Romanis esse videri posset] Iac. Gronovio obsecutus scripsi: *ut sanctum habere foedus, quod ei cum Romanis esset, videri posset. BC. B.* Nec poenitet fecisse. Vereor enim, ut post Cortium ad Sallust. Cat. cap. 52. lectionis vulgatae patrocinium recte susceperit Weissenbornius, qui Lectt. Liv. Part. I. p. 14. „Nam vulgata defendi potest, inquit, ex illo Livii usu, quo saepius *posse* ut verbum auxiliare inprimis ad *videri* solet addere, cf. XXIX, 33. *venisse videri poterat,* XXIV, 36. *versum fuisse videri poterat,* (ubi certe non necessaria est Bekkeri coniectura) III, 35. *tulisse videri posset,* XXXVII, 60. *ne otiosam provinciam habuisse videri posset,* XXXVI, 35. *causam probasse videri possent,* cf. II, 25. XXIV, 1. XXXIV, 28. 44. XLI, 2. XXXII, 11. [add. XL, 23. et XLIV, 38.] Cic. Fin. II, 30. 33. Walch. Emendatt. Liv. p. 50. Ita et huius loci sententia esse potest: sanctum haberet foedus, quod sibi esse cum Romanis, putare, sibi fingere posset; nam ita agendo, ut arguebatur, indicare videbatur, se societatis illius esse oblitum.“ Nobis aliter videtur; recte secusne, alii iudicent. — sine praesidio] Cod. *sine praedio.* Hoc in codice reperiri, Kopitarius mihi significavit. In codicis collatione scripserat *praesidio,* vocula *sine* omissa.

Cap. XX. insanire aiebant] Cod. *inseanebant,* corr. *insanebant,* litera *e,* id quod Bekkerum fefellit, puncto superimposito damnata. De Grynaei emendatione non est, quod dubites. — Tegeae theatrum magnificum e marmore facere instituit] Grynaeus ex corruptissima codicis scriptura: *thegetea magnificum* etc. lectionem integram sagacissime eruit. — Cyzici in Prytaneum] Cod. *cyzici prytaneum,* omissa praepositione, quam Grynaeus recte inseruit. Vid. Annotatt. ad Liv. XXXVIII, 35. p. 364. — Gladiatorum munus] Quae infra cap. 28. leguntur: *Munera gladiatorum eo anno aliquot parva alia data,* certissime probant, lectionem vulgatam, licet XXVIII, 21. et XXXI, 50. *munus gladiatorium* reperiatur, a Drakenborchio temere in dubium esse vocatam; praesertim quum Tacitus quoque, id quod Wopkensius in Actt. litt. Soc. Rheno-Traiect. Tom. IV. p. 397. docuit, saepius *spectaculum gladiatorum* posuerit. — magnis praemiis] Cod. *magnis praedis,* quod

Grynaeus non in *praemiis*, sed in *praetiis*, ut alibi in cod. Vindob. aliisque scribitur, sive *pretiis* mutare debebat. *BC. B.* Sic Liv. XXXIX, 44. *summis pretiis* et *paullum imminutis pretiis* legitur, atque Cic. Orat. pro Tull. p. 27. ed. Mediol. *carissimis praetiis* ex codice palimpsesto sive rescripto editum est.

Cap. XXI. cum iusto numero peditum equitumque] Drakenborchius voculam *cum*, Dukero quoque suspectam, inducendam esse censuit coll. XLII, 35. *Ut quattuor legiones scriberet urbanas, iusto numero peditum equitumque.* Recte quidem. Bekkerus uncis inclusit. — eo verteret in hominum morbos] Perperam Doeringius *eo* non ad annum, qui nunc agebatur, sed ad priorem retulit. Sequitur enim paullo post: *nec illo, nec priore anno.* Recte tamen *verterat*, id est *versa erat*, quod auctore Sigonio recepi, vulgato praetulisse videtur. *BC.* — et M. Sempronius Tuditanus pontifex] Cod. *m. sempronius tuditanus*, ceteris omissis. In Frob. 2. copulam adiectam esse, Drakenborchius non annotavit. Vocabulum *pontifex*, a librario propterea omissum, quod *pontifices* sequitur, Grynaeus addidit. — aureis maculis sparsum] Cod. et Frob. 1. *auis maculis sparsum.* Bekkerus haec annotavit: „*aureis* Grynaeus: L *auis.*" Cave credas. Grynaeus ex codice *auis* edidit et in Frob. 2. demum *aureis* comparuit. Drakenborchius tacet.

Cap. XXII. Nonis Iuniis] Cod. *ıx. mil.*, quod ex *non. iul.* ortum esse apparet. Huic autem, quod in Frob. 1. et 2. legitur, vulgatum recte substituerunt. — adscendit] Cod. *escendit*, quod Grynaeus temere in *ascendit* mutavit. *BC. B.* Hoc verbum ex cod. Bamb. XXXIV, 56. XXXV, 43. XXXVII, 3. et 9. atque ex cod. Vindob. non solum hoc loco et infra cap. 23. sed etiam XLII, 15. 38. 42. XLIII, 16. et XLV, 28. restitui: nec iniuria. Vid. Gronov. et Drakenborch. ad Liv. II, 28, 6. atque Garaton. ad Cic. Philipp. II, 34. Tom. I. p. 515. ed. Wernsdorf. et Ruhnken. ad Rutil. Lup. I, 13. p. 48. qui hoc verbum non nimis cupide scriptoribus antiquis obtrudendum esse monuit. Quippe codicum auctoritati hac in re obsequendum est. Non igitur erat, opinor, cur Grynaeus hic et alibi a codicis scriptura discederet. — nuncius tumultus eius venit] Cod. *nuntios tumultuo misit.* Una igitur, quae intercidit, syllaba addita scripsi: *nuntios tumultuosos misit. B.* Hic enim *nuntii tumultuosi* vocantur, qui, ut Livius ipse II, 24. et XXVII, 33. dixit, *cum tumultuoso advolant nuntio*, sive *tumultum adferunt.* Displicuit tamen ratio a me inita Weissenbornio, qui Lectt. Liv. Part. I. p. 18. de me meaque coniectura Bekkero probata: „Sed etiamsi ille, inquit, recte de v. *tumultuosus* disputet, cf. X, 33, 8. XXVI, 9, 6. XXX, 8, 4. XXXIV, 30, 4. tamen hoc offendit, quod, si ita legeremus, quomodo Perseus ad Eumenem regem, sibi inimicissimum, nuntios, et tumultuosos quidem, quasi auxilium postulantes, mittere potuerit, nemo sane facile dixerit. Neque vero Perseus, sed Graeci nuntios mittere debebant, ut Eumenem, socium suum, periculi a Perseo allati monerent; quapropter fere nulla

mutatione legendum puto: *nuntii tumultuosi missi; t* enim littera e voce sequenti adhaesit.“ In hac tamen lectione, quamvis non facile dixerim, quid Perseus praeter suum in mediam Graeciam adventum per nuntios tumultuosos ad Eumenem perferri iusserit, pariter atque in vulgata illud male me habet, quod omnia, quae praecedunt et subsequuntur verba ad Persea regem pertinent, vocabulum *missi* autem vel *venit* ad aliud subiectum, quod vocant, referendum est. — aut legatos, aut literas dimisit] Vanas et inanes esse Sigonii, Crevierii et Heusingeri de hoc loco coniecturas, Weissenbornius Lectt. Liv. Part. II. p. 3. sq. docuit.

Cap. XXIII. comprehensis] Cod. *conprēsis*, id est *conprensis*, quod a Grynaeo in *comprensis* mutatum Livio restitui. *B.* Sic etiam XLII, 16. legitur: *ne ex comprenso indicium emanaret.* Vulgatum, quod Drakenborchius quoque recte improbavit, in ed. Paris. a. 1573. primum comparuit. — literas ***. ceterum] Cod. *litterae ceterum*, sine ullo lacunae indicio. Propterea scripsi: *literae *** ceterum.* — atque his maxime] Cod. *adque his maxume.* Hic quoque *iis* pro *his* reponendum videtur. — ego maxime gravissimam omnium, non agique tantum arbitror] Cod. *ego maxume gravissimam omniumque non agi tantum arbitror.* Ut haec praecedentibus: *Parva aut mediocris res quibusdam videtur agi*, ad amussim, ut aiunt, responderent, Rupertii coniecturam secutus edidi: *ego maximam gravissimamque omnium non agi tantum arbitror.* Similiter XLII, 4. *seditionibus suisque* pro *seditionibusque suis*, et cap. 58. *equitum sacraeque ale* pro *equitumque sacrae alae* in codice legitur. Nunc *maximam omniumque gravissimam* scribere malim. Gronovius coniecerat: *ego maximam et gravissimam omnium neque agi tantum arbitror*, quod Bekkerus ita recepit, ut codicis scripturam *non agi tantum* retineret. — manereque id decretum] Alii alia in hoc loco vel explicando vel emendando moliti sunt. Nobis verbum *scivissemus*, quod vulgo quidem pro *iussissemus* positum non cum infinitivo iungitur, a proximo *scilicet* interceptum esse videtur. In Bekkeri annotatione pro *cum maneretque* scribe: *cum — maneretque.* — quem populus Romanus prius poenae, quam regni, haeredem futurum sciebat] Cod. *quem populo romano prius paenae quam regni heredem futurum sciebat.* Quare haud cunctanter, vocabulo *hostem* post *quem* inserto, scripsi: *quem hostem populo Romano prius paene, quam regni heredem futurum sciebat*, ut verbum *sciebat* non ad populum Romanum, sed ad Philippum regem referretur. *BC. B.* Liv. XXI, 1. Hannibal iurat, *se, quum primum posset, hostem fore populo Romano*, et XLII, 11. Perseo *hereditarium a patre relictum bellum, et simul cum imperio traditum* dicitur. Praeterea etiam Cic. de Rep. I, 4. pro *paene* in cod. Vat. *paenae* scriptum est. Bekkerus autem loco a nobis emendato non satis accurate haec subiecit: „*hostem* addidit Muretus.“ Muretus enim *quem populi Romani hostem prius poene* etc. scribi voluit. — si vera volumus dicere] Cod. *usi uere uolumus dicere*, corr. *si.* Librarius enim primum, vocula *si*

omissa, *uere* scripturus erat. Itaque codicis auctoritate *vera* in *vere* mutavi. *BC. B.* Similiter XXXIV, 2. *si vere dicere volumus*, pro *vera*, ex codd. Mogunt. et Bamb. aliisque restitui. — nec provinciis de controversis ad disceptationem populum Romanum adivit] Cod. *pr. audivit*, Frob. 1. 2. aliaeque usque ad ed. Bas. a. 1554., quae *audivit* exhibet, *P.*.*R. adivit*, quod Grynaeus lectioni in codice repertae minus recte substituit. Totum igitur locum de Gronovii sententia cum Crevierio et Lallemando ita edidi: *nec provocantes de controversiis ad disceptationem populi Romani audivit. B.* Baumgarten-Crusius vulgatum ita servavit, ut *adivit* in *adiit* mutaret. — adscendit] Cod. *escendit*, quod praetuli. *BC. B.* — quod sine ullius eorum, quos oderat, noxia] Scripsi *noxa. BC.* Bekkerus vulgatum perperam retinuit. Vid. Doederlini Synonym. Lat. Part. II. p. 153. Locis a Dukero allatis adde Liv. Lib. XCI. Fragm. *per pacatos agros quietum exercitum sine ullius noxa duxit*, et Tacit. Annal. XV, 34. *nam egresso, qui adfuerat, populo vacuum et sine ullius noxa theatrum collapsum est.* — quantum enim interluit fretum] Cod. *interfuit fretus*, non *interfluit*, ut Bekkerus falso perhibet. Nihilo secius tamen certa, ut opinor, coniectura ductus scripsi: *quantum enim interfluit fretum? BC. B.* Sic Liv. XXVII, 29. commemoratur *fretum, quod Naupactum et Patras interfluit*. Hoc enim, licet Tacitus quoque Annal. VI, 1. scripserit: *Caesar tramisso, quod Capreas et Surrentum interluit, freto Campaniam praelegebat*, orationi pedestri magis convenit, quam *interluit*, quod apud Virgil. Aen. III, 419. et Claudian. XXXIII, 143. reperitur. Praeterea cf. Liv. XXXIII, 15. et 18. Plin. Hist. Nat. III, 5. et IV, 12. Tacit. Hist. III, 5. atque Curt. III, 1. et IV, 3. — inmisceamur] Cod. *inmiscemur*, quod Kopitarius in codicis collatione praetermiserat, idemque in *Immiscemur* mutatum Grynaeus edidit, maxima verbo *videamus* interpunctione subiecta. Vulgatum Sigonio debetur. — donec ad certum dirigatur] Cod. et Frob. 1. *dirigantur*, quod Heinsius in *dirigatur* mutavit. Neutrum admitti potest. Scripsi auctore Gronovio: *donec ad certum redigatur. B.* Idem iam Crevierius, Lallemandus et Doeringius receperunt. Similiter librarius infra cap. 24. *repetendique* in *derependique* corrupit. Liv. XLIV, 15. *si id ante dubium fuisset, legatorum paullo ante verba ad certum redegisse.*

Cap. XXIV. Arco] Graeco Ἄρχων latinum *Archo* substitui. *B.* Vid. Heindorf. et Wüstemann. ad Horat. Sat. II, 3, 254. — quae futura fuerant] Recte Bekkerus Gronovium secutus *fuerant* in *fuerint* mutavit. — Facturus fuerat] Auctore Sigonio, cui Gronovius, Crevierius et Lallemandus obsecuti sunt, scripsi *fuerit. BC. B.* De utroque loco Madvigius Opp. Acad. Part. II. p. 229. ita commentatus est: „Nemo non videt, Liv. XLI, 24, 4. ubi editur: *divinat etiam, quae futura fuerant, si Philippus vixisset*, aeque pravum esse tempus ac modum verbi, legendumque *futura fuerint*, quemadmodum paulo post Kreyssigius, codici, opinor, obsequens, edidit: *nec* (scimus), *quid Philippus, si vixisset, facturus fuerit*, pro eo, quod ede-

batur, *fuerat.*" In codice tamen *fuerant* et *fuerat* legitur. — Persea, regno accepto, ad legatos Romanos venisse, ac regem Persea a populo Romano adpellatum] Cod. *persea regno accepto a legatos romanos uenisse ad regem persea ad pr. appellatum.* Nomen *Persea* a Kopitario primum post verba *ad regem* in codicis collatione omissum, deinde codice iterum inspecto additum. Gronovius hunc locum coll. XL, 58. ita scribendum censuit: *Ac scimus, Persea, regno accepto, legatos Romam misisse, ac regem a populo Romano appellatum: audimus, legatos Romanos venisse ad regem, et ab eo benigne exceptos.* Haec recepi; ita tamen, ut *et eos benigne exceptos* servarem. *BC. B.* Sed gravius hic latere videtur ulcus, ita persanandum, ut scribas: *Ac scimus, Persea, regno accepto, regem a populo Romano appellatum: audimus, legatos Romanos venisse ad regem Persea, et eos benigne exceptos.* Librarium enim primum *accepto* repetere voluisse, deinde ad sequentia: *legatos Romanos venisse ad regem Persea,* nescio quo casu aberrasse, ex codicis scriptura colligas. — quos nuper subiecit] Haud scio, an pro *subiecit,* in quo Walchium Emendatt. Liv. p. 247. sqq. non offendisse miror, rectius *subegit* scribatur. Sic supra cap. 23. *Dolopiam armis subegit.* Vereor enim, ut *subiicere* simpliciter pro *ditioni suae subiicere* sive *sub ius iudiciumque suum cogere,* quod cap. 22. de Dolopibus subactis legitur, dici queat. — Sed sumus aeque subiecti] Walchius, qui paullo ante, id quod iam Crevierius, Lallemandus et Doeringius fecerunt, post *sumus* interrogandi signum posuit, hic non minus recte *sumus* mutavit in *simus,* quod recepi. *BC. B.* — cur exsecrabilis ista nobis solis velut desertio iuris humani est] Cod. *cum exsecrabilis ista nobis sit cur exsecrabilis ista nobis solis velut dissertio iuris humani est.* Vides, librarii oculos recurrisse ad praecedentia: *idem et nobis sit.* Praeterea editor Bipontinus et Rupertius his verbis copulam *et* praemiserunt. Sed haec leviora sunt: illud multo gravius est, quod in codice non vulgatum *desertio,* sed *dissertio* legitur. Walchius quidem Emendatt. Liv. p. 251. „*Desertio,* inquit, metaphorica significatione, ne ἅπαξ λεγομένοις adscribatur, iterum occurrit, nisi fallor, in secunda decade." Immo tertia, in qua tamen frustra quaeres. Sed fac, hoc vocabulum, quod apud iuris Romani interpretes militis desertoris flagitium significat, alicubi μεταφορικῶς usurpari, ab hoc certe loco alienum esse, nemo tam hebes est, quin intelligat. Etenim Cic. pro Caecin. cap. 35. *suum ius deserere* ita dicitur, ut sit idem quod *iure suo decedere* sive *auf sein Recht Verzicht leisten,* ideoque *desertio iuris,* si usquam legeretur, nihil aliud significare posset, quam *Verzichtleistung auf das Recht.* Iam vero hic de negata potius iuris communicatione agi, perquam aperte docent praecedentia: *Quod Aetolis, quod Thessalis, quod Epirotis, omni denique Graeciae cum Macedonibus iuris est, idem et nobis sit.* Atque hanc ipsam ob caussam, quum iam in maiore Livii editione *disertio* pro *desertio* scripsissem, in minore *dissertio,* quod in codice legitur, illi substituendum esse existimavi; praesertim quum adiectum *velut,* vocabulum haud vulgare et rarius etiam quam *desertio* a Livio

positum esse, significare videatur. Vocabulum *dissertio* non barbarum, sed latinum esse, certum habeo. Nam Walchius ipse acerrima, quibus hoc evincam, tela mihi subministrat illis, quae supra posui, haec addens: „Festus: *Disertiones*, *divisiones patrimoniorum inter consortes*. Ad quem locum eximie Io. Scaliger: „Ἀρχαϊσμὸς pro *dissortiones*. *Apello*, *Apollo*. „Glossarium: *Dissortes* διακληρωθέντες. Est et *Dissortium* διαχωρισμός, διάστασις." — Nam in usu fuisse optimis scriptoribus *dissortio* et *dissortium*, cuius auctoritatem frustra quaeras, si non fides haberi debeat Glossario, vel demonstret Livii *consortio* et *consortium*." Liv. VI. 40. *Quaenam ista societas, quaenam consortio est?* XL, 8. *sociabilem consortionem inter binos Lacedaemoniorum reges*, et IV, 5. *si in consortio, si in societate rei publicae esse licet*. Quemadmodum autem *consors* et *dissors* contraria significant, ita etiam *consortio* et *dissertio* sive *dissortio*, quorum hoc primum de patrimonii divisione inter consortes usurpari solitum deinde transferri potuit ad iuris, ut ita dicam, divisionem, ex qua vel omnes pari iuris conditione utuntur, vel aliis non tantum iuris, quantum aliis tribuitur. Itaque Heusingerus, quamquam codicis scripturam ignorabat, hunc locum non male ita vertit: *Warum trifft uns allein dies fluchwürdige Ausscheiden aus der menschlichen Verbindung?* His infra *commercium iuris praebendi repetendique* opponitur. — meruit? cur soli omnium hostes ei sumus] Recte Bekkerus Gronovium secutus, mutata verborum interpunctione, scripsit: *quid Perseus — meruit, cur soli omnium hostes ei simus?* — triduum in concilio fuimus] Cod. *triduum nos in concilio fuisse*, quod recepi. *B.* Grynaeus non vidit, verba *nos fuisse* cum praecedentibus: *Quamquam et illud dicere poteram*, esse coniungenda. — Nonnihil] Cod. *nihil*, quod a Grynaeo temere in illud mutatum, a Perizonio, prius quam codicis auctoritas accederet, coniectura repertum est. *B.* — quod tam longam deliberationem fecerat] Baumgarten-Crusium secutus *faceret*, quod Vascosano debetur, in altera Livii editione vulgato substitui. — ne interdictione finium nostrorum et nos quoque regno arceamus] Cod. *nostros quoque et nos segni arceamus*. Bekkerus igitur recte edidit: *ne interdictione finium nostros quoque et nos regno arceamus*. Quod me non prius fecisse, nescio an pudeat magis quam poeniteat. — ac invisos] Cod. *inuisos*, omissa copula. Propterea Drakenborchio, Crevierio et Lallemando, qui iam recepit, obsecutus scripsi *et invisos*. *BC. B.* Hic igitur locus pariter ac XLII, 12. eximendus est eorum numero, quibus probare studuerunt, *ac* poni ante vocabula a vocali incipientia. Vid. Handii Tursellin. Vol. I. p. 454. sqq. et libris ibi commemoratis adde Guil. Leon. Mahnii Miscellanea Latinitatis. Lugd. Bat. 1843. p. 1. sqq. — in pace etiam, si non odia finiuntur, intermittantur] A Baumgarten-Crusio admonitus haec in altera Livii editione ita refinxi: *in pace, etiamsi non finiuntur, odia intermittantur*, mutata tamen verborum interpunctione. Nec poenitet fecisse. — adsentierant] Verissime Forcellinus s. v. *assentio*: „Lege *adsensi erant*. Error ortus est ex prava scriptione litterae *t*, et coniunctione vocum."

Idem Doniatio ad h. l. et Freinshemio ad Curt. IX, 7, 9. placuit. Formam soloecam expuli. *BC. B.* Praeterea Kopitarius vocabulum *regis*, quod praecedit, in codicis collatione omiserat.

Cap. XXV. quum salutatione benigne excepti essent] Crevierius: „Mallemus *benigna*“, quod in minore Livii editione vulgato substitui. Sic XLII, 39. *Salutatio non tanquam hostium, sed hospitalis ac benigna fuit.* — ceterum induciae et antea sex mensium fuerunt] Cod. *indutiae et antum sex mensum.* Gronovius id, quod in codice legitur, coniectura assecutus: „Lege, inquit, *caeterum inducias tantum sex mensium fecerunt.*“ Nos codicem pressius secuti scripsimus: *ceterum indutiae tantum sex mensium fuerunt. BC. B.* De *mensum*, quod Bekkerus recte admisit, pro *mensium* posito vid. Annotatt. ad Liv. XXXIII, 13. p. 28. Schneider. ad Caes. B. G. I, 5. et quae ad XLV, 15. annotavi.

Cap. XXVI. obtinente] Cod. *oppugnante*, cui Grynaeus illud recte substituit. — provinciam. rebellarunt] Recte Bekkerus vocabulo *provinciam* pro maxima minimam interpunctionem subiecit. — ac paucis adhortatus milites] Cod. *ad paucis adhortatis milites.* Voculam *ac* delevi. *BC. B.* Librarium enim, vocabulo *paucis* omisso, *adhortatus* scripturum fuisse apparet. — utrumque] Cod. *utrimque*, Frob. 1. 2. *utrinque*, quod in *utrimque* mutatum recte post alios retinuerunt Gronovius atque Crevierius et, quum in ed. Drakenborch. typographi, opinor, negligentia in *utrumque* conversum atque in alias Livii editiones temere propagatum esset, post Millerum in ed. Berolin. a. 1751. Ruddimannum in ed. Edinburg. a. 1751. et Lallemandum Doeringius Livio restituit, quum iam antea tacite reduxisset Walchius Emendatt. Liv. p. 251. Non igitur erat, cur Baumgarten-Crusius, quum Tafelius quoque edidisset *utrimque*, et *utrumque* vitiosum dixisset, huius patrocinium susciperet. Ceterum idem et Bekkerus, ut par erat, mecum fecerunt. — secuti] Walchius Emendatt. Liv. p. 252. recte scripsit *sicubi*, id est *si qua parte. BC.* Idem probavit Büttnerus Observatt. Liv. p. 96. immerito reprobavit Lindavius Spicileg. crit. in Thucydidem et Livium. Vratislaviae, 1817. p. 17. Bekkerus substituit *ubi*, quod a codicis scriptura longius discedit. — ut pandere aciem, et exaequari cornibus hostibus, quibus circumibantur, possent] Cod. *ut pandere aciem et exequari cirenibus, corr. cornibus, hostibus quibus circumibantur possent ut extra uallum pandere aciem et exequari cornibus hostibus circumibantur possent.* Conturbata et confusa omnia. Propterea nescio an rectius scribas: *ut pandere aciem et exaequare cornibus hostium, quibus circumibantur, possent.* Librarius enim vocabulis *cornibus* et *quibus*, ut supra cap. 25. ubi *hominibus* pro *homines* scripsit, in errorem inductus pro *hostium*, quod iam Gronovius vulgato substitui maluit, perperam *hostibus* posuisse videtur. Liv. III, 62. *quum aequassent aciem.* Cf. XXXVII, 29. extr. ubi similiter *aequare ordinem* legitur. Utrum eodem Gronovio auctore *a qui-*

bus circumibantur, quod Clericus recepit, scribendum sit, nec ne, in suspenso relinquam. — eruperunt] Hic quoque, Bättnero astipulante, Walchium secutus scripsi *irruperunt*. *BC. B.*

Cap. XXVII. votis etiam in Capitolio nuncupatis] Particulam *etiam*, licet his in codice legatur, Drakenborchius et Crevierius, quum ex praecedentibus: *consors etiam censoris*, facile irrepere potuerit, delendam esse recte censuerunt. *BC. B.* — et ipsorum legati adtulerunt] Auctore Crevierio induxi voculam *et* haud dubie ex literis *e* et *i* conflatam. *BC. B.* Vid. Annotatt. ad Liv. XXXIII, 31. et 45. p. 75. et 111. — et ova ad notas curriculis numerandis] Cod. *et ova .... curriculis numerand..* Perperam igitur Bekkerus edidit: *et ova ... ad notas curriculis numerandis*. Grynaeus *ad notas* post *et ova* addidit. Kopitarius enim de huius loci scriptura a me consultus haec mihi rescripsit: *In der Handschrift steht wegen ausgerissenen Pergaments: e t c a r c e r e s i n c i r c o e t o v a .... c u r r i c u l i s n u m e r a n d ... d a m e t m e t a s t r a n ... e t c a b e a s f e r r e a .. i n t r o m i t t e r e ... So viel liest man itzt deutlich; das Ende der Zeilen ist mit Papier verpappt. Früher mag wohl a d n o t a s - i s e t - t r a n s - f e r r e a s p e .. sichtbar gewesen seyn.* — et extra eamdem portam in Aventinum porticum silice straverunt, et eo publico ab aede Veneris fecerunt] Aliis aliorum de loco misere depravato coniecturis meam quoque addere liceat. Scribendum esse suspicor: *Et extra eandem portam viam in Aventinum silice straverunt, et porticum in clivo Publicio ad aedem Veneris fecerunt.* Clivi Publicii nomen in verbis *eo publico* latere, iam Perizonius recte suspicatus esse videtur. De aede Veneris nihil habeo, quod dicam. Exspectes: *ad aedem Iunonis.* Cf. Liv. XXVII, 37. et Beckeri *Handbuch der Römischen Alterthümer*, Part. I. p. 453. — nisi senatus Romani populive iussu] Malim verborum ordine mutato: *nisi senatus populive Romani iussu.* Sallust. Iug. cap. 112. *uti iussu senatus atque populi Romani foedus fieret.* — se locaturum ipsorum pecunia Iovis aedem] Cod. *se locaturum ipsarum pecunia iouis aedem.* Quare Bekkerus hic quoque perperam edidit: *se locaturum .... ipsarum pecunia Iovis aedem.* — Pollentiae] Cod. *po . entiae*, ita quidem, ut *po* in extremo versu et *. entiae* in principio versus insequentis legatur, atque unam tantum literam in membrana lacera intercidisse appareat. Propterea Sigonio astipulatus scripsi *Potentiae. B.* Bekkerus tamen, quum Kopitarius me per literas de huius loci scriptura certiorem fecerit, non codicis auctoritati, sed Sigonii iudicio obsecutus est. Totus autem locus, teste Kopitario, in aversa folii laceri pagina legitur hunc in modum: *se locaturum ipsarum pecunia iouis aedem pisauri et fundis et po . entiae etiam aquam adducē . am et pisauri viam silicem ster . e . . am et sinuessam a ga . . . . d aviariae in his et clo . . . . um circumducen . . . . . et forum et porticus tubernisque caudendum et iam nos tris faciendos.* Literam *d*, quae vocabulum *aviariae* praecedit, dubiam esse et incertam, idem mihi significavit.

Cap. XXVIII. Praetores inde facti] Kopitarius ex codice enotaverat: *praetores d. facti*, id est *deinde facti*. Postea tamen hoc ita correxit, ut literae *d.* vocabulum *inde* substitueret. — quinque millia auri] Cod. *·u· mil. iib. sauri.* Haec ex *u* sive *V millibus auri*, quod admitti non potest, suborta esse, Kopitarius probabiliter admodum suspicatus est. Alibi tamen librarius non *millia*, sed *milia* scripsit. — salvum] Cod. *saluomq*, litera *q* puncto superimposito inducta. Frob. 1. 2. *salvom*. Walchius igitur, quum librario proximum *atque* praebuerit errorem, Emendatt. Liv. p. 256. codici *salvomque* falso tribuit. — donum Iovi dedit] Heusingerus, quum Rupertius quaesivisset, cur tabula, quam Sempronius donum Iovi dederit, in aede Mátris Matutae sit posita, scribendum censuit: *donum Inoi dedit*, id est Leucotheae, quam a Romanis Matrem Matutam appellatam esse constat. Neque recte, an perperam, interpretor. De insolentiore forma dativi *Inoi* pro *Inoni* vid. Schneideri Gramm. Lat. Part. II. Vol. I. p. 147. — aliquot parva alia data] Erat, quum suspicabar, pro *parva alia*, quod Kopitarius, quum in codicis collatione vocabulum *alia* omisisset, postea codici restituit, non *parva alias*, quod Doeringio placuit, sed *parentalia* scribendum esse. Neque tamen huic coniecturae quidquam tribuo. Praestat vulgatum retinere. Alia munera gladiatorum parva erant, unum ante cetera insigne. — T. Flaminini] Hoc in codice legitur. Frob. 1. 2. *T. Flaminii*, quod Sigonius recte in illud mutavit. Sed XLIII, 11. in codice pariter ac Frob. 1. et 2. *L. Flaminius* reperitur, cui Sigonius itidem *L. Flamininus* substituit. Atque hoc ipsum cognomen pro gentis nomine ubique reponendum etiam XLV, 42. latet in corruptissima codicis scriptura: *legati trans nominatius quintius id a minimus*. Praeterea vid. quae supra ad cap. 8. annotavimus.

LIB. XLII.

Cap. I. cum centum equitibus] Cod. *cum centum equitibus CC*, id est *ducentis*, quod ex praecedentibus male repetitum esse apparet. Ad hoc minor equitum numerus peditum numero convenit. Vocabulum *centum* in codicis collatione omissum Kopitarius postea addidit. — Priusquam magistratus proficiscerentur] In codice vocabulo *priusquam* praepositio *in* subiecta est. Livius igitur, nisi me omnia fallunt, scripsit: *Priusquam in provincias magistratus proficiscerentur.* Sic infra cap. 35. *Quo maturius in provincias magistratus proficiscerentur.* — paullatim proferendo fines, constabat] Cod. *contrabat.* Sed librarium haec verba post *privatus* repetentem *contrabat* in *constabat* mutasse, Kopitarius in codicis collatione annotare neglexerat. — diverteretur] Cod. *deuerteretur,* quod praestat. *BC. B.* — diverti] Cod. *deuerti,* quod itidem recepi. *BC. B.* Utrumque iam Drakenborchius, quem Rupertius secutus est, vulgato substituendum esse censuit. — Iniuria consulis] Librarius, quum ad sequentia: *etiamsi iusta,* per imprudentiam aberrasset, posuit: *iniuria consulis,* pro quo ex Schelii et Gronovii coniectura reponendum: *ira consulis,* cui Weissenbornius, ut tempus definiretur, Lectt. Liv. Part. I. p. 18. not. 4. minus recte, opinor, *tum ira consulis* substituit. Vix opus est, ut adscribam Bruti verba apud Cic. Epp. ad Brut. I, 2. *acrius prohibenda bella civilia esse, quam in superatos iracundiam exercendam,* et Ovid. Met. XII, 583. *Exercet memores plus quam civiliter iras.*

Cap. II. bellum parari] Cod. *non bellum parari.* Aut fallor, aut coll. cap. 13. ubi Attalus de Perseo: *quamquam,* inquit, *mihi quidem non parare, sed gerere paene bellum videbatur,* scribendum: *Facile tamen apparuisse sibi, nunc bellum parare, nec ultra ad arma ire dilaturum,* ut utrumque aequabili verborum constructione ad regem Persea referatur. De crebra vocularum *non* et *nunc* permutatione vid. Drakenborch. ad Liv. IX, 7, 5. — precationibus, quae editae ex fatalibus libris essent] Cod. *praecationibusque editi.* Gronovius igitur certissima coniectura auguratus scripsit *qui editi. BC. B.* Sic alibi quoque pronomen relativum remotiorem a nomine locum obtinet, veluti Liv. XXIV, 8. *Classem hoc anno, cui tu praefuisti, trium rerum causa paravimus,* et XXXI, 29. *Concilium Aetolorum stata die, quod Panaetolium vocant, futurum erat.* Drakenborchius et Crevierius cum Doe-

ringio vulgatum temere defenderunt. Primum enim ex Liv. XLI, 21. colligi non potest, decemviros etiam precationes ex libris fatalibus edidisse; deinde vocabulum *precationibus* hic verbo *peti* ita additur, ut alibi *precibus*. Liv. XLIII, 4. *ad pacem precibus petendam*, atque similiter I, 16. *pacem precibus exposcunt*, II, 2. *eadem multis precibus orant*, et Virgil. Aen. III, 261. *Sed votis precibusque iubent exposcere pacem*, pro quo Livius VII, 2. simpliciter *pacem deum exposcere* dixit.

Cap. III. Magnum ornamentum se templo ratus adiecturum] Cod. *magnum ornantum et templo iratus adiecturum*. Quum pronomen *se* et alibi, id quod Drakenborchius ad Liv I, 23, 5. multis exemplis comprobavit, a Livio omittatur, et hic quoque, ut XXI. 12. in verbis: *Alcon, insciis Saguntinis, precibus aliquid moturum ratus*, facile possit suppleri, in altera Livii editione codicis scripturam pressius secutus *se templo* in *ei templo* mutavi. De vocularum *ei* atque *et* permutatione iam supra ad XLI, 15. dixi. Neque tamen huius loci emendationem absolutam esse arbitror. Quum enim pro *ratus* in codice *iratus* legatur, totus locus in hunc modum videtur esse conformandus: *Magnum ornamentum ei templo ita ratus adiecturum, si tegulae marmoreae essent*. Similiter infra cap. 30. *plures ita, si praecipuam operam navassent, potentes sese in civitatibus suis futuros rati*, ubi pronomen *sese* additur. — Fremitus] Cod. addit *eius*, quod quid sibi velit, non perspicio. Librarium ad verba *regionis eius*, quae paullo post leguntur, aberrasse non crediderim. — censorem] Cod. *id censorem*. Hic quoque, quo pronomen *id* pertineat, exputare non possum. — id deum inmortalium templa demolientem facere] Vocabulum *templa* a sequenti *demolientem* interceptum in codice desiderari, Kopitarius in codicis collatione annotare neglexerat. Nec Grynaeus, sed Curio, id quod Drakenborchius testatur, illud supplevit. — hae tegulae] Cod. *eae tegulae*, quod in minore Livii editione vulgato substitui. Idem Bekkerus postea recepit. Sic etiam cap. 4. Livius scripsit: *ut is ager viritim divideretur*. Quod sequitur *locarentur* in codice omissum Grynaeus adiecit. — inire rationem] Bekkerus a Kopitario, qui haec verba ordine inverso in codice legi perperam annotaverat, in errorem inductus *rationem inire* edidit. Vid. not. 8. prooemio subiectam.

Cap. IV. P. Furius idem] His verbis particulam *ut* a praecedenti *fuit* absorptam praemisi ex Pighii emendatione, quam praeter Drakenborchium et Crevierium Schaeferus quoque probavit in Ernestii Gloss. Liv. s. v. *opportunus*. *BC. B.* — senatus consultum factum] Cod. *sc. sit factum*, quod librarius haud dubie per errorem oppido vulgarem pro *senatus consultum st factum* sive *est factum* posuit. Hoc igitur Livio est restituendum. Similiter XLIV, 35. *pugnatum adque utrimque sit levi armatura* pro *pugnatumque utrimque est levi armatura* in codice legitur. Vid. Niebuhr. ad Cic. Orat. pro Fonteio fragmenta p. 60. Madvig. ad Cic. de Fin. III, 17. p. 448. sq. et eiusdem Opp. Acad. Part. II. p. 222. not. 1.

Cap. V. magna ex parte] Cod. *magnae pariter*, quod nescio an in minore Livii editione recte mutaverim in *magnae partis*. — quae sub ditione eius] Non post *eius*, ut Doeringius et Baumgarten-Crusius perhibent, sed post *urbes*, quod sequitur, Curio *essent* inseruit. Hoc multo probabilius esse apparet. Ceterum Kopitarius pronomen *eius* in codicis collatione omiserat. — requisitum] Cod. *et quesitum*. Malim igitur *quaesitum*, omissa copula, quae et alibi a librario temere adiecta est, veluti XLV, 44. ubi *et ut societas et secum renovaretur* in codice legitur. — ad spernendam originem] Cod. et Frob. 1. *ad spernendum originem*, quod revocavi. *BC.* Recte tamen Bekkerus servavit vulgatum, a Gronovio profectum, idemque probavit Madvigius Opp. Acad. Part. I. p. 387. neque tamen animadvertit, verborum: *nec praetermittendum* vel *praetermittendam spem ullam*, quae infra cap. 43. leguntur, diversam esse rationem. — seu quia cum obiectum esse Romanis volebant] Weissenbornius, quum pro *cum obiectum esse*, quod Grynaeus edidit, *non obiecta esse* in codice legatur, Lectt. Liv. Part. II. p. 9. non male suspicatus est, Livium scripsisse: *non subiecti esse*, et haec addidit: „Gravis erat civitatibus Romanorum societas, vel potius dominatio, liberique esse cupiebant et servitutem timebant, id quod aperte apud Gellium VII, 3. Cato dixit: *id metuere, ne sub solo imperio nostro in servitute nostra essent.*" — ea contagione] Gronovius coniecerat *et contagione*, quod Bekkerus recepit, Doeringius maluit *ex contagione*, quod coll. V, 6. IX, 1. et XXVIII, 24. praetuli. *BC.* Infra cap. 21. librarius perperam *ex rogatione* pro *ea rogatione* posuit. Has voculas saepe permutatas esse docuit Drakenborch. ad Liv. XL, 59, 8. — in * annorum pensiones] Cod. *in z annorum pensiones*. Quid haec nota significet, me ignorare fateor. Weissenbornius, quum ipse in Annotatt. ad Liv. XXXVII, 45. docuerim, notas literarum *x* et *z* confundi, Lectt. Liv. Part. II. p. 11. hoc quoque loco ita erratum esse existimat, ut *in decem annorum pensiones* scribendum sit. Nec displicet. Sic Liv. XXXIII, 30. *Mille talentum daret populo Romano: dimidium praesens, dimidium pensionibus decem annorum.* — quas intestino gesserant bello] Ex certa, opinor, Rupertii emendatione, Heusingero quoque probata, *quos* scripsi. *BC.* Iacobsius in Notis in Livii Lib. XXXIII. p. 390. maluit *quaeque*. Ceterum in codice non *gesseran*, quod Kopitarius in codicis collatione et Walchius in scripturae specimine posuerunt, sed *gesserant* ita scriptum est, ut literae *NT* in unam figuram coalescerent. — Corinthum, ut ibi deponerentur obsides, convenitur] Quum *corynthus* in codice legatur, nemo tam caecus est, quin *convenitur* in *convenit* mutandum esse videat. *BC. B.* Liv. I, 24. *tempus et locus convenit*. Sic in cod. Vindob. aliisque sexcenties peccatum est. Vid. quae ad XLV, 3. et 20. annotavi.

Cap. VI. quoad diem] Gronovio et Dukero obsecutus in altera Livii editione *quam ad diem* scripsi. — Legati, qui in Syria fuerant, renunciaverunt] Benedictus

in Observationibus ad quaedam Livii loca, Torgaviae a. 1808. editis, p. 3. ut haec cum antecedentibus coniungantur, *Legati, qui in Syria fuerunt, renuntiaverant*, et praeterea pro *legatoque*, quod paullo ante legitur, *legatoque Apollonio* scribendum esse censet. In codice *uideretµrque legato* scriptum est.

Cap. VII. In provinciis eo anno haec] Similiter Livius XXI, 24. scripsit: *Et per nuntios quidem haec*, et XXXII, 34. *Et Aetolis haec.* Vide tamen, ne hic interciderit *acta*, quod idem alibi, ut *gesta*, addere solet, velati V, 14. et XXXIV, 53. *Haec eo anno acta*, XXXI, 32. *Haec in concilio Aetolorum acta*, XXXIII, 27. *Haec per hiemem ferme acta*, et XXXV, 7. *Haec in Italia domi militiaeque acta.* Praeterea cf. Duker. ad Liv. XXXI, 43, 7. — Statiellati] Cod. *statellaei*, Frob. 1. *Statellati*, quod Bekkerus revocavit. Vid. quae infra ad cap. 8. et 21. annotavi.

Cap. VIII. Statiellates] Cod. *satellites*, Frob. 1. *Statellates*, quod Bekkerus praetulit. — recuperari] Cod. *reciperari*, quod hic et infra cap. 50. a me quoque in maiore Livii editione probatum Bekkerus servavit. Vid. Drakenborch. ad Liv. VII, 18, 1. — Arma primo quoque tempore fieri] Vocabulum *primo* in codice omissum Sigonius addidit. Et recte quidem. Haud multum enim abfuit, quin librarius, qui infra cap. 30. pro *primo quoque die ferre* perperam *primo differre* scripsit, similiter peccaret XLIII, 11. ubi *et ut quoque primo tempore in urbem rediret* in codice legitur. — in ea gente] Cod. *nec ante.* — quum] Cod. *quam.* Totum igitur locum ita constitui: *Arma primo quoque tempore fieri, nec ante consulem de provincia decedere, quam deditos in sedem suam Ligures restituisset. BC.* Bekkerus quoque me secutus est, ita tamen, ut vocabulum *primo* perperam omitteret. Nam *tempore* Livium pro *in tempore* dixisse, Weissenbornius Lectt. Liv. Part. I. p. 19. recte negavit. Particulam *de* in codice desiderari, Kopitarius in codicis collatione falso perhibuerat. Ceterum cf. Annotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 75. sqq. ubi hunc locum diligentius pertractavi, simulque suspicatus sum, forsitan rectius scribi: *Arma primo quoque tempore referri*, id est *Liguribus reddi* sive *restitui.*

Cap. IX. ad non parendum] Cod. *ad non parendum fuit.* Quod quid sibi velit, non intelligo. — Romam rediit] Cod. *redit*, quod Bekkerus vulgato praetulit. Vid. quae ad XLV, 44. annotavi. — tandem] Cod. *tamen*, quod haud dubie praestat, nec a Grynaeo in illud mutari debebat. *BC. B.* — Pennus] Frob. 1. *Poenus.* Illud, quod Sigonius substituit, in codice legitur.

Cap. X. sexaginta novem] Cod. *lxuui*, Frob. 1. *LXIX.* Itaque *novem et sexaginta* vel *undeseptuaginta*, quamquam lexica hoc vocabulum ignorant, scribere malim. — sed omnes] Cod. et Frob. 1. 2. *et omnes*, quod revocavi. *BC.* Walchius Emendatt. Liv. p. 227. „Nollem, inquit, audisset Drakenborchius Curionem. Verum

est *et*, (haec est cod. Vindob. lectio) non *sed*, quod substituit ille." Bekkerus tamen a vulgato non discessit. — quibusque equos ademerunt] Cod. *quibusque quos demerunt*, non *adimerent*, quod Kopitarius per errorem postea correctum in codicis collatione posuerat. Verbum *demerunt* autem ita scriptum est, ut literae *UNT* in unam figuram coalescerent. — prae se ferens] Frob. 2. *et prae se ferens*, quod Drakenborchius praetermisit. Non opus est copula. — si qui decernerent] Doeringius: „*Si quid*, inquit, in plurimis editionibus ante Drakenborchium." Immo in omnibus omnino editionibus atque in ipso cod. Vindob. recte *si quid decernerent* legitur, quod Baumgarten-Crusius et Bekkerus mecum restituerunt. Propterea Drakenborchius, cui operae non paruerunt, de hac lectione temere invecta nihil annotavit et ad §. 15. veram huius loci scripturam protulit. Neque vero per se illud *si qui* ferri potest, sive per *si qua ratione* explicandum esse statuas, ut III, 64. *si qui vos minus hodie decem tribunos plebei feceritis*, sive indefinite positum esse existimes, ut VI, 22. *si qui ex Etruria novi motus nuntiarentur*. Displicet enim, sive hoc sive illud sequaris, verbum *decernerent*, quod non habet, quo referatur, absolute dictum, ut III, 45. *decresse*; sin hoc illi praeferas, senatores singulos vel paucos dici aliquid decrevisse, quod more institutoque maiorum fieri non poterat. Eo magis miror, hunc operarum errorem a Millero in ed. Berol. a. 1751. correctum in alias permultas esse propagatum; Doeringium hoc mendum intactum reliquisse, non miror. — in coepto] Cod. *in incepto*, quod Dukerus coniectura assecutus est. *BC. B.* Idem Gelenius XXXII, 23. Livio restituit, cod. Bamb. postea confirmante. — decernuntur] Hoc in codice legitur. Bekkerus *decernunt* edidit, cui sequentia: *Macedoniam decreturos negant*, favere videntur. — in Hispaniam] Malim *Hispanias*, quod sequentibus, ut opinor, magis est accommodatum. — nec quidquam reipublicae acturos] Scripsi cum Crevierio: *rei publicae. B.* Doeringium non moror. Liv. III, 27. *vetat quemquam privatae quidquam rei agere*, XXVII, 6. *nec quidquam publicae rei egerunt*, XLII, 26. *Nihil magnopere, quod memorari attineat, rei publicae eo anno consules gesserant*, XLIII, 16. *negarunt, se prius quidquam publici negotii gesturos*, et Tacit. Germ. cap. 13. *Nihil autem neque publicae neque privatae rei nisi armati agunt*.

Cap. XI. supra quam ne optare quidem auderet] Crevierius non post *auderet*, ut Doeringius, Rupertius et Bekkerus Drakenborchii annotatione decepti perhibent, sed post *quidem* vocabulum *quidquam* sive *quicquam* addendum esse censuit. Hoc multo probabilius esse apparet. — pareretur] Ed. Bas. a. 1554. *pararetur*, quod aliae deinceps retinuerunt. Malim tamen *paretur*, quod sententiae generali accommodatius esse putaverim.

Cap. XII. ac oranti] Cod. *adoranti*, cui, quum ex *ADQ. ORANTI* ortum esse videatur, *atque oranti* substitui. *BC. B.* Drakenborchius et Crevierius *et oranti*

scribere maluerunt, et Doeringius aliis nescio quibus iam ante nos *atque oranti* placuisse auctor est. Utcunque res se habet, hoc quoque loco non magis quam XLI, 24. probari potest, *ac* poni ante vocabula a vocali incipientia. — ut aditus et in Achaiam daretur] Bekkerus ex Heusingeri coniectura *et* in *ei* mutavit. Nec repugno. Vid. quae supra ad XLI, 15. annotavi. — petiisse] Cod. *petisse*, quod vulgato substitui. *BC. B.*

Cap. XIII. sed comperta et explorata] Post haec verba in codice lacuna reperitur. — quum ille vobis bellum] Gronovium secutus addidi *pararet*, quia sequitur: *quamquam mihi quidem non parare, sed gerere paene bellum videbatur. B.* — Artetarum] Cod. *arthetarum*. Ex Appian. Maced. IX, 1. et 3. restitui *Arthetaurum*. *BC. B.* Vid. infra cap. 40. et 41. — Dolopiae bella intulit] Recte Gronovius: „Quot, quaeso? haud dubie *bellum*.“ Hoc in altera Livii editione vulgato praetuli. — precer] Cod. *praeter*, literis *ra*, id quod Kopitarius in codicis collatione non annotaverat, lineola transversa perperam inductis. Librarius enim *praecer*, ut alibi, vel *precer* scripturus erat.

Cap. XIV. ferocia animi] Cod. *ferocia animai*, corr. *animi*. Nondum me poenitet auctore Gronovio scripsisse: *ferocia nimia. BC.* Librarius enim, quum praecedens *animos* et proximum *ferocia* eius oculis obversarentur, facile ita peccare potuit, ut pro *nimia* scriberet *animai* et errorem perperam corrigeret. Bekkerus vocabulum *animi* expunxit. Quo iure, ipse viderit. Neque tamen habeo cur negem, librarium vocabulis *animis* et *animos*, quae praecedunt, in errorem potuisse induci. Iacobsio in Notis in Livii Lib. XXXIII. p. 405. vulgata lectio ex duabus videtur conflata, altera, *exasperavit animos ferocia Harpali*, altera, *exasperati animi ferocia Harpali*. Quod ut credam, a me impetrare non possum. — caussam belli quaeri] Cod. *causam uel causam belli quari*. Librarius, qui infra cap. 38. *uello* pro *bello*, XLI, 14. *uinas* pro *binas*, cap. 15. *uouis* pro *bouis* atque XLIII, 2. *uis* pro *bis* et *uiennio* pro *biennio* posuit, primum *causam uelli* pro *belli* scripturus erat. — ac Satyrus princeps] Cod. *hac falsa iturus princeps*. Quae quid sibi velint, alii viderint me peritiores. Grynaeum, quum Appianus Maced. IX, 2. simpliciter Ῥοδίων τινὰ πρεσβευτὴν commemoret, in eius nomine restituendo frustra elaborasse, persuasum habeo. Conieceram, locum esse lacunosum et ita explendum: *ac falsae accusationi obviam iturus princeps*. Quis autem talia praestet? — Quod quum contigisset] Recte Dukerus, negatione ex Appiani verbis: παρόντος μὲν ἔτι τοῦ Εὐμένους οὐ προσήκατο, adiecta, scribendum existimavit: *Quod quum non contigisset. BC. B.* Sic alibi quoque vocula *non* intercepta est. Vid. Annotatt. ad Liv. XXXIII, 20. p. 47. — popularem quidem ac gratam populis Asiae] Cod. *popularem quidem quidem ingratam populis*, omisso *Asiae*, quod Grynaeus addidit. Hinc *nec ingratam populis Asiae* scribendum esse suspicor. — donaque] Cod. *donaque cui*, quod quid sibi velit, non intelligo.

Cap. XV. quanta eximia celeritate poterat] Cod. *quanta exima.* Vulgatum ferri nequit. Propterea Muretus et Gronovius, obsecundante Drakenborchio, ex coniectura restituerunt: *quanta maxima celeritate poterat. BC. B.* Scriptura semel in *quantā axima* corrupta facile in *quanta exima* abiit. — adscensurum] Cod. *enscensurum*, corr. *escensurum*, quod recepi. *BC. B.* — Progressi] Gronovius vidit, rectius scribi *praegressi*, quod iam Crevierius, Lallemandus et Doeringius receperunt. *BC. B.* — Adscendentibus] Cod. *escendentibus.* Hic quoque codicis auctoritati obsecutus sum. *BC. B.* De verborum compositione ad graecam consuetudinem a scriptoribus latinis conformata vid. Gronov. ad Liv. I, 8, 5. — maceria erat ab laeva semitae paullum exstans a fundamento] Cod. *maceri erat ab leuia semitam paulum extantem a fundamento.* Doeringius verba: *paullum exstans a fundamento*, ita explicat: „Haud longe a fundamento, cui superstructa fuit, prominens, h. e. humilis." Recte quidem, si haec cum Grynaeo, cui lectio *exstans* debetur, ad maceriam retuleris. Sic Plin. Hist. Nat. VI, 22. *aedificia modice ab humo exstantia* dicuntur. At quum latrones in sequentibus post maceriam se abdidisse dicantur, gradibus adstructis, ut ex ea, velut ex muro, tela in Eumenem praetereuntem coniicerent, atque *paullum*, id quod Heusingerus, qui per *ziemlich hoch* interpretatus est, sibi persuasisse videtur, pro *aliquantum* poni nequeat, hunc locum a Grynaeo nondum persanatum esse, facile intelligitur. Propterea olim, quum de codicis scriptura certior factus essem, paullo audacius scripsi: *maceria erat ab laeva semitae paullum exstantis*, id est modice prominentis, *a fundamento*, sc. maceriae, *qua singuli transirent*, quod neque Baumgarten-Crusio neque Bekkero placuit. Nunc igitur scribere malim: *maceria erat ab laeva, semita paullum exstante a fundamento, qua singuli transirent*, quod, licet librarius, qui etiam XLIV, 39. *patriam alteram* pro *patria altera* scripsit, non *semitā* et *extantē*, sed *semitam* et *extantem* posuerit, propius tamen ad codicis scripturam accedit. — diruta] Huic ex certissima Dukeri emendatione substitui *derupta. BC. B.* Contrario librarii errore XLIV, 8. *prorutam* in *prorupta* mutatum est. Liv. XXI, 36. locus *recenti lapsu terrae in pedum mille admodum altitudinem abruptus* dicitur. — circumfusa turba] Haec verba non primo, id quod Heusingerus sibi persuasit, sed sexto casu sunt posita. Propterea, ut verbum *procedebat* non ad turbam amicorum ac satellitum, sed ad Eumenem regem referretur, hunc locum ita distinxi: *Primo a mari, circumfusa turba amicorum ac satellitum, procedebat. BC.* Sic etiam Plutarch. de fraterno amore cap. 18. *οἱ δὲ περὶ Δελφοὺς ἐνήδρευον, αἰσθόμενοι βαδίζοντα πρὸς τὸν θεὸν ἀπὸ θαλάσσης.* — cum quo institutus regi sermo erat] Cod. et Frob. 1. *regis sermo.* Hoc in codice quoque reperiri, Kopitarius per literas mihi significavit. Vulgatum debetur Vascosano. De hoc corruptelae genere vid. Annotatt. ad Liv. XXXIII, 6. p. 15. — altero humerus sopitus. ex semita proclivi in declive] Cod. *altero umerus sopitus qui exemit a procliuit in decliue.* In corrupta codicis scriptura lectionem ve-

ram et integram: *altero humerus; sopitusque ex semita proclivi ruit in declive*, abditam latere, certissima coniectura perspexi. *BC. B.* Eumenes enim rectius, quam eius humerus, ictu sopitus esse dicitur. Sic Livius etiam infra cap. 16. eundem *sopitum ac nihil sentientem* dixit. Adde I, 41. *sopitum fuisse regem subito ictu*, et VIII, 6. *impactus imo ita est saxo, ut sopiretur.* Rem conficit Plutarchus, qui verbis paullo ante adscriptis haec subiunxit: *γενόμενοι δ' ὄπισθεν αὐτοῦ λίθους μεγάλους ἐμβάλλουσιν εἴς τε τὴν κεφαλὴν καὶ τὸν τράχηλον, ὑφ' ὧν σκοτωθεὶς καὶ πεσὼν ἔδοξε τεθνάναι.* Alii aliter, sed frustra, hunc locum, de cuius integritate Gronovius Observatt. IV, 8. p. 605. non dubitavit, emendare studuerunt. — constanter inpavidus] Cod. *constar inpauidus.* Num *constar* in *contra* mutandum, an *constans et impavidus* scribendum? Sed Ovidius quoque Trist. III, 2, 27. deos *nimium constanter iniquos* dixit.

Cap. XVI. circumitu] Hoc in codice legitur. Sed supra cap. 15. librarius posuit *circumeuntes*, litera *m* puncto superimposito inducta. In minore Livii editione rectius *circuitu* scripsi. Vid. Schneideri Gramm. Lat. Part. I. Vol. II. p. 536. — ne compreuso indicium emanaret] Cod. *ex conprenso*, omisso *ne*, quod Grynaeus addidit. Propterea, quum *compreuso* pro *eo comprenso*, quod Baumgarten-Crusius, quum antea idem coniecissem, reponere maluit, dici nequeat, servata particula *ne*, quae facile intercidit, scripsi: *ne ex comprenso*, id est *ne ex eo, si comprehenderetur*, ut Obstius in ed. Bekker. recte explicat. *B.* Q. Cic. de petit. cons. cap. 5. *nam fere omnis sermo ad forensem famam a domesticis emanat auctoribus.* — Adgressi facinus Macedones — et timide reliquerunt] Huius loci distinctionem Walchius, quem secutus sum, Emendatt. Liv. p. 123. recte mutavit. *BC. B.* — a Corintho] Cod. *ad corinthio*, quod ex *ab Corintho* ortum esse apparet. *B.* In Baumgarten-Crusii editione praepositio per typographi, ut opinor, errorem est omissa.

Cap. XVII. pluribus consciis comparari. eventu praeterea incerto esse] Hic quoque Walchius Emendatt. Liv. p. 122. sq. verborum interpunctionem recte immutavit, idemque iam antea Crevierius et Lallemandus fecerant. *BC. B.*

Cap. XVIII. fatigato saepe idem petendo senatu] Cod. *fatigatis sepe idem petendo senatum.* Librarius, ut supra cap. 13. *denudatis* pro *denudantes*, et infra cap. 26. *fluctuatis* pro *fluctuantes*, sic hoc loco *fatigatis* pro *fatigantes* posuit. Ergo scribendum erat: *fatigantes saepe idem petendo senatum. BC. B.*

Cap. XIX. educandum] Cod. *educendum*, quod Bekkerus vulgato substituit. — Et Thracum legatis, apud se disceptantibus, et societatem] Cod. *et recum legatis se discepnatisque et satis societatem.* Priora *et recum* ex *et trecum*, quod alibi quoque pro *Thracum* in codice legitur, orta esse apparet: posteriora misere corrupta sunt. Weissenbornius Lectt. Liv. Part. I. p. 28. minus probabiliter, quid

in *cepnatis* lateat, se non exputare professus, *et Thracum legatis, Maedis....que et Astiis societatem* etc. scribendum esse coniecit. — munera binum millium] Cod. *munera militum*, omisso *binum*, quod Grynaeus recte inseruit. Olim enim scriptum erat: *munera II. milium*, id est *binum milium*. Cf. Liv. XLIII, 6. et 8. XLIV, 14. atque XLV, 42.

Cap. XX. ad haruspices referre] Cod. *et haruspices referre*. Vide igitur, num Livius scripserit: *et ad haruspices referre*. — pluisse] Cod. *pluuisse*, quam verbi formam Bekkerus ubique praetulit. Sed XLV, 16. ubi idem *pluverat* edidit, in codice *pluerat* legitur.

Cap. XXI. in provincias] Recte Rupertius: „Immo *in provinciam*, quod mox bis dicitur, et cap. 22. pr. nam una fuit provincia, Liguria, ambobus consulibus decreta. v. cap. 10.“ *B*. — Statiellatibus] Cod. *satellatis*, Frob. 1. *Statellatibus*. Bekkerus *Statellis* scripsit. — quibus iterum] Cod. *quibus si iterum*. De hoc erroris genere vid. Annotatt. ad Liv. XXXIII, 45. p. 111. — se decem millia] Cod. *se ·x· milia*, quod in minore Livii editione in *sex milia* mutavi. Vid. Annotatt. ad Liv. XXXII, 16. p. 169. Bekkerus codici *se decem* falso tribuit et Perizonium secutus scripsit *sedecim*, pro quo, si Kopitario fides habenda, XLIII, 12. et XLV, 35. non *xu*, sed *sexdecim* in codice legitur. — Statiellis] Cod. *satellis*, Frob. 1. *Statellis*, quod Bekkerus hic quoque revocavit.

Cap. XXII. ceperunt] Gronovio auctore scripsi *acceperunt*, quod iam Doeringius, si per operas licuisset, recepturus erat. *BC. B*. — detrectationi] Cod. *detractioni*, quod Bekkerus in *detractationi* mutavit. Idem librarii error XLIV, 37. recurrit. Vid. Annotatt. ad Liv. XXXII, 21. p. 175. — transductisque] Hic *traductisque* et infra cap. 60. *traductis* scripsi in altera Livii editione. Nollem factum.

Cap. XXIII. Carthaginienses foedere illigatos silere] Iacobsius in Notis in Livii Lib. XXXIII. p. 389. pro *silere* aptius *sedere* scribi censuit. Quo minus assentiar, prohibet locus Tacit. Hist. III, 47. *Nec ceterae nationes silebant. Subita per Pontum arma barbarum mancipium, regiae quondam classis praefectus, moverat*. — non sibi magis misericordiam, quam regi *] In codice *misericordiamque reis* ita legitur, ut *misericordiamque* in extrema pagina sit positum.

Cap. XXIV. et urbes, et agros] Cod. *et urbem et agros*, quod Bekkerus codicis auctoritati obsecutus vulgato recte praetulisse videtur. Diversa est ratio locorum Liv. XXXIII, 13. *ager urbesque captae Aetolos sequerentur*, et XLV, 29. *habentes urbes easdem agrosque*.

Cap. XXV. Persi] Cod. *persei*. Hanc dativi formam, de qua Schneideri Gramm. Lat. Part. II. Vol. I. p. 289. sq. velim conferas, Bekkerus ubique ex codice recepit. — quod alii super alios legati venirent speculari dicta factaque sua] Cod. *quod*

ali superatiosi legati uenirent speculati dicta factaque sua. Librarius, quem *superatios* scripsisse Kopitarius in codicis collatione falso perhibuerat, ad praecedens *legati* respiciens *speculati* posuit pro *speculatum*, quod, quum iam Rupertius *speculaturi* scribere maluisset, certa emendatione vulgato substitui. *BC. B.* Liv. XL, 25. *Ubi primum in hostium finibus castra posuit, legati ad eum, per speciem pacis petendae, speculatum venerunt.* Infinitivus enim verbo *venire* Graecorum more adiectus in Liviana oratione ferri non potest. Vid. Ruddimanni Inst. Gramm. Lat. Part. II. p. 230. et Chr. Dav. Iani Art. poet. Lat. p. 154. sq. — Si novum foedus secum facere vellent] Cod. *nouo foedus sei*, corr. *si*, *secum facere uellent.* Propterea verborum ordine mutato edidi: *Novum foedus si secum facere vellent*, ut suus particulae *si* locus assignaretur. *BC. B.*

Cap. XXVI. et super qua re venissent] Cod. *et super de re uenisse*, non *uenisset*, quod Kopitarius in codicis collatione posuerat. — exustum a rege agrum] Cod. *exustum a re*, ceteris omissis. Maucam codicis scripturam Grynaeus optime redintegravit. Liv. XXII, 14. *exurebaturque amoenissimus Italiae ager.* — legati redierunt, qui renunciarunt] Cod. *redierunt legati qui redierunt.* Codicis auctoritati ita obsecutus sum, ut *redierunt legati* pro vulgato reponerem. *BC. B.* De verbo *redierunt* male repetito et pro *renuntiarunt* posito vid. Annotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 69. — egregie in fide permanere] Cod. *e graeciae fide permanere.* Verbum *permanere* Kopitarius in codicis collatione omiserat.

Cap. XXVII. a sociis] Cod. *ac sociis*, quod in altera Livii editione in *ab sociis* mutavi. — qui exercitum paratum ad traiiciendum haberet] Cod. *qui ut exercitum paratum ad traiciendum haberet.* Vulgatum Drakenborchius frustra defendit. Grynaeus enim non *ut*, sed *qui* ex praecedentibus a librario repetitum omittere debebat. *BC.* Bekkerus Gronovium secutus *quo* edidit.

Cap. XXVIII. quum tantum bellum inmineret, iussum erat] Cod. *cum tantum bellum immineret repulsum erat.* Vulgatum *iussum erat* ad pronomen *cui* referendum, de cuius integritate Waltherus ad Tacit. Annal. IV, 72. non dubitavit, Grynaeus Livio perperam obtrusit. Propterea iam Crevierius *iussum erat* in *visum erat* mutandum esse, verissime coniecit. Oudendorpius postea ad Sueton. Vespas. cap. 23. haec annotavit: „In vetustissimo et unico cod. Vindobonensi exaratum est *creari pulsuerat.* Hinc lego *creari placuerat*, vel *perlibuerat.*" Nos codicis scripturam ab Oudendorpio nescimus quo auctore corruptam secuti scripsimus: *quum tantum bellum immineret rei publicae, visum erat*, quod Baumgarten-Crusius ita recepit, ut vocabula *rei publicae* perperam omitteret. Rectius tamen postea Bekkerus, licet codici *imminere* falso tribuerit, hunc locum ita constituit, ut ederet: *quum tantum bellum immineret, e re publica visum erat.* Sic supra cap. 26. *magis e re publica visum erat*, et infra cap. 47. *uti e re publica maxime visum esset.* — duae

iure Romae dicendo] In minore Livii editione scripsi *iuri*. Vulgatum tamen defendit Schneiderus Gramm. Lat. Part. II. Vol. I. p. 202. sq. — **Consulibus designatis imperavit senatus]** Cod. *designati sen imperauit*. Librarius primum, verbo *imperavit* omisso, *designati senatus* erat scripturus. — **si respublica decem annos in eodem statu fuisset]** Cod. *r̄. p̄. ·x· annos in eode statu fuisset*, particula *si* omissa. Paullo aliter Liv. XXI, 62. legitur: *si in decem annos res publica eodem stetisset statu*, et XXX, 27. *si per quinquennium illud res publica eodem statu fuisset*. — **minus compotem fuisse sui]** Quum Kopitarius vocabulum *minus* in codicis collatione omisisset, voculam *non* a vocabulo, quod sequitur, interceptam esse ratus in altera Livii editione scripsi: *non compotem fuisse sui*. Vid. Annotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 62. Postea tamen idem per literas me docuit, non *conpetem*: sed *minus conpetem* in codice reperiri. Nihil igitur quidquam mutandum. — **sacerdos lectus]** Cod. *sacerdos est lectus*, quod, ut par erat, recepi, et in minore Livii editione Baumgarten-Crusium secutus post *sacerdos* comma posui. *BC. B.*

Cap. XXIX. **quod scelere]** Cod. *quo scelere*. Bekkerus codici *in quo* tribuit, idemque in codicis collatione legitur. Sed voculam *in* a Kopitario temere additam esse, postea rescivi. De pronomine *eius*, quod sequitur, Weissenbornius Lectt. Liv. Part. II. p. 6. not. 3. haec annotavit: „Non placet *eius*, suspicor Livium scripsisse *regis*, scilicet Macedonum, quod facile e vocabulo *Macedonici* colligitur.“ Idem iam antea Iacobsius in Notis in Livii Lib. XXXIII. p. 387. recte coniecerat. — **neque pro Romanis se aequum censere]** Cod. *neque romanos posse aequom censere*. Grynaeus igitur integerrimam codicis scripturam temere depravavit. *BC. B.* — **eximie]** Cod. *exine*, pro quo, licet opinioni nostrae adversari videantur, quae Lindemannus ad Vitas Duumvirorum etc. p. 246. annotavit, in minore Livii editione *enixe* reposui. Similiter saltem Liv. III, 8. *impigre promissum auxilium* dicitur. — **mansuras res]** Cod. *mansurasse*, quod certa coniectura ductus in *mansuras res esse* mutavi. *BC. B.* Librarium alibi quoque similiter peccasse, in Annotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 81. docui. — **evidenter]** Cod. *ei ad*. Weissenbornius Lectt. Liv. Part. I. p. 18. not. 4. *iam diu* legendum esse suspicatur. Dubito, an recte. Loco desperato ita medendum videtur, ut scribas: *Cotys Thrax, Odrysarum rex, Persei ac* sive *atque Macedonum partis erat*. Similiter paullo post cap. 30. plebs *ad regem Macedonasque inclinata* dicitur.

Cap. XXX. **plebs ubique omnis ferme, ut solet, deterioribus erat ob regem Macedonesque inclinata]** Ante *ut solet* lacunae signum posui. *BC.* Ibi enim vocabulum *favens*, quod Crevierius post *deterioribus* excidisse putabat, rectius ex coniectura reponi, Büttnerus Observatt. Liv. p. 98. sq. docuit. Praeterea de Gronovii aliorumque sententia *ob regem* in *ad regem* mutavi. *BC. B.* — **prorogationem]** Cod. *prorogatio felixque*, ceteris omissis. Nos cum Doeringio certissimam Perizonii

emendationem secuti *propagationem* scripsimus. *BC. B.* Lacunam Grynaeus probabiliter admodum explevit. Nam haruspices etiam Liv. XXXI, 5. respondisse dicuntur: *laeta exta fuisse, et prolationem finium victoriamque et triumphum portendi.* — populum Romanum] Cod. *praetorem*, notis *P. R.* et *PR.* permutatis. Eodem modo librarius XLV, 37. peccavit. Vid. Annotatt. ad Liv. XXXIV, 53. p. 221.

Cap. XXXI. duceni equites] Cod. *duceni pedites*, quod Grynaeus temere in illud mutavit. *BC. B.* Veram lectionem a Lipsio et Perizonio coniectura repertam iam Lallemandus, Doeringius et Rupertius restituerunt. — utque ibi recognosceret — et daret operam] Quum in codice primum *adque ibi recognosceret* pro *utque ibi recognosceret*, deinde *legere* pro *legeret*, denique *daret operam* reperiatur, Bekkerus totum locum recte, opinor, edidit hunc in modum: *atque ibi recognoscere socios navales, dimissisque si qui parum idonei essent, supplementum legere ex libertinis, et dare operam* etc. Idem mihi quoque in opinionem venerat. — sors evenit] Cod. *sors obuenit*, quod recepi. *BC. B.* Utrumque Livianum esse constat. Grynaeus tamen codicem sequi debebat.

Cap. XXXII. oppugnaturum] Ex verissima Rubenii coniectura nos quoque cum Clerico, Crevierio, Lallemando et Doeringio *optaturum* vulgato substituimus. *BC. B.* — non quid vellet in consulatu potius] Bekkerus voculam *non*, ut spuriam, uncis inclusit. Sed negationem non delendam esse, Weissenbornius Lectt. Liv. Part. II. p. 7. sq. probatum ivit, totumque locum recte explicavit. — Delectus consules multo intentiorem, quam alias, curam habebant] Cod. *dilectum*, ut alibi, pro *delectum*. Vide igitur, num scribendum sit: *Delectum consules multo intentiore, quam alias, cura habebant.* Liv. V, 7. *Ab urbe commeatus intentiore, quam antea, subvehi cura.* Sed vulgatum quoque, quum librarius in utramque partem saepissime peccaverit, defendi potest. Liv. XXXII, 26. *et triumviri carceris lautumiarum intentiorem custodiam habere iussi*, de quo loco cf. Beckeri *Handbuch der Römischen Alterthümer*, Part. I. p. 265.

Cap. XXXIII. eo M. Popillius consularis, advocatus, centuriones, et consul venerunt] Iacobsius in Notis in Livii Lib. XXXIII. p. 406. scribere maluit: *advocatus centurionum, centuriones et consul.* Rectius, ut mea fert opinio, vocabulum *advocatus* in altera Livii editione de medio sustuli. Librarius enim a verbis: *popilius consularis* ad sequentia: *populus in contionem aduocatus*, quae illis sunt simillima, facile potuit aberrare. — Consule inde postulanti] Cod. *cos. inde postulantis*, Frob. 1. *Cos. inde postulanti.* In codice non *consuli*, quod Sigonius dedit, sed *cos.* reperiri, Kopitarius per literas me docuit. Vulgatum autem in Livio non ferendum esse ratus in editione minore scripsi: *Consule inde postulante.* Vid. quae Baumgarten-Crusius ad h. l. annotavit. — primum, quod bellum senatus Perseo iussisset: deinde, quod veteres centuriones etc.] Madvigius Opp. Acad. Part. II. p. 236. not. 1. recte miratur,

me mendum a Baumgarten-Crusio quoque et Bekkero non sublatum reliquisse. Haud dubie enim iam Lallemandus hunc locum ex Burmanni et Crevierii emendatione ita optime restituit: *P. Licinius consul senatus consulta recitari iussit: primum, quo bellum senatus Perseo iussisset; deinde, quo veteres centuriones quam plurimum ad id bellum scribi censuisset.* Ceterum in codice quoque *sc.* id est *senatus consultum,* legitur.

Cap. XXXIV. decumum] Hoc Bekkerus in *decimum* mutavit. Similiter tamen etiam XLIV, 2. *decumo*, cap. 17. *septumo decumo*, et cap. 44. *septumum decumum* in codice reperitur. — in Italiam portati] Recte Perizonius *reportati* scribendum esse coniecit. *BC. B.* Idem placuit Schaefero in Ernestii Gloss. Liv. s. v. *reportare.* Sic infra: *Expulso rege Antiocho, subactis Aetolis, reportati sumus in Italiam.* Supra quidem cap. 18. legitur: *Hoc copiarum in Hispanias cum praetoribus novis portatum est.* Verum ibi non de reditu, sed de profectione agitur. — subactis Aetolis] Cod. *subactolis aetolis*, non *sub aetolis aetolis,* quod Kopitarius in codicis collatione posuerat. — Ordinem] Cod. *ordine,* quod Gronovius coniectura assecutus est. *BC. B.* Bekkerus tamen codici perperam tribuit *ordinem,* quod a Grynaeo temere invectum, prinsquam de codicis scriptura constaret, defendit Iacobsius in Notis in Livii Lib. XXXIII. p. 406. sq. — ut semper ita fecisse me et imperatores mei] Cod. *ut semper ita fecissem ut imperatores mei.* Haec Grynaeus optime emendavit. Primum enim alteram pronominis *me* literam a proximo *et* interceptam, deinde hanc ipsam voculam, id quod saepissime accidit, in *ut* mutatam esse apparet. Restat, ut Gronovio auctore *et semper ita* scribamus.

Cap. XXXV. consul] Cod. *p. consul*, pro quo *P. Licinius consul* reponendum videtur. — omissa adpellatione] Cod. *praemissa appellatione,* quod in minore Livii editione rectius, opinor, in *remissa appellatione* mutavi. Liv. XXXIV, 8. *nec ante abstiterunt, quam remissa intercessio ab tribunis esset,* XXXVIII, 54. *Remittentibus ergo his intercessionem, omnes tribus, uti rogassent, iusserunt,* et XXXIX, 5. *literis M. Aburii tribuni plebis acceptis de remissa intercessione.*

Cap. XXXVI. intra undecimum diem] Cod. *et traxi diem,* de quo librarii errore ex notis numeralibus orto vid. Annotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 89. et ad Liv. XXXII, 16. p. 169. quibus adde quae ad XLIV, 16. annotavi.

Cap. XXXVII. quem, si aliquem respectum amicitiae eum habere cerneret] Weissenbornius, quum post Perizonium ad pronomen *eum*, pro quo *cum* in codice legitur, recte offendisset, Lectt. Liv. Part. II. p. 13. „Itaque duas literas, inquit, quae haud raro turbarum causa fuerunt, intercidisse, Liviumque scripsisse existimo: *amicitiae cum p. R.* id est *populo Romano.*“ De ceteris non est, quod dubites. Librarius enim et alibi, ut infra cap. 62. ubi *inponeret* pro *imponere* et *esset* pro *esse* in codice legitur, infinitivis verborum imperfecta modi coniunctivi substituit.

Ut hic quoque ita peccaret atque *temptaret* et *perligeret* pro *tentare* et *perlicere* poneret, verbum *cerneret*, quod praecedit, effecisse videtur. Particulas *aut* et *ut*, quarum hanc Grynaeus in illam mutavit, a librariis saepius permutari constat. Cf. Handii Tursellin. Vol. I. p. 558. ubi *vid. Drakenborch. ad Liv. IV, 12, 8.* scribendum. — Cui rescribi nihil placuit] Cod. *cui rescribi non placuit,* quod, ut par erat, recepi. *BC. B.* Nam hic quoque Grynaeus, quum verbum *rescribere* simpliciter pro *respondere* ponatur, codicis auctoritati obsequi debebat. — Achaeis indignantibus] Cod. *fremebant acheis indignantibus.* Librarius verbis: *fremitum in concionibus audiebant,* quae praecedunt, in errorem est inductus. — Elii] Cod. *aeli.* Bekkerus *Elei* scripsit, quod, quum a Graecis Ἠλεῖοι et ab ipso Livio XXVII, 31. *Elei* vocentur, vulgato praeferendum videtur.

Cap. XXXVIII. decem millia ab mari] Cod. *·x· mari*, quod in *decem milia a mari* mutandum erat. *BC. B.* Quippe vocabulum *milia* voculam *a* intercepit. Liv. XLI, 1. *consul quinque ferme milia a mari posuit castra.* — adscenderent] Cod. *escenderent*, quod restitui. *BC. B.* — ut praesidio essent liberatis ab se Macedonibus] Weissenbornius Lectt. Liv. Part. II. p. 10. de hoc loco ita disseruit: „Neque legati populum liberasse dici possunt; neque illo tempore Orestae liberi sunt facti, quibus iam pridem suae leges essent redditae; neque nisi duriore et contorta explicatione pronomen *se* ad populum Romanum refertur. Itaque Drakenborchius hanc vocem abiiciendam esse statuit, quod sane facillimum est emendandi genus, sed lubricum et periculosum. Notum est autem haud raro verbum *senatus* significari magis literis quam plene scribi. Itaque videndum est, an restituta hac voce scribendum sit: *ut praesidio essent liberatis ab senatu Macedonibus.* Vid. Polyb. XVIII, 30, 6. Liv. XXXIII, 34, 6.“ Recte quidem, ut videtur. — pollicitationibus regis] Drakenborchio, Dukero et Crevierio obsecutus *regiis* scripsi. *BC. B.* Sic librarius aliquoties peccavit. — iis, quum culpam] Cod. *eos cum culpam.* Pronomen *iis* in altera Livii editione delevi. Apparet enim atque exstat, librarium ad verba: *societatem eos cum Perseo iunxisse,* per errorem recurrisse. — non fuisse dilaturum] Cod. *non fuisse se dilaturum,* quod nihil cunctatus recepi. *BC. B.* Similiter Liv. XXXIII, 47. ex cod. Bamb. *venisse se* restitui. Praeterea cf. quae supra ad XLI, 17. annotavi.

Cap. XXXIX. legationem] In codicis collatione Kopitarius *legati* pro *legationem* posuerat. — dirimente amne] Cod. *dirimene amni.* De ablativo *amni,* qui et alibi apud Livium reperitur, vid. Drakenborch. ad Liv. XXVIII, 33, 1. — Hippian] Cod. *hippanian.* Scripsi *Hippiam,* ut infra cap. 54. et XLIV, 23. quibus in locis *lippium* et *hippiam* in codice legitur. *BC. B.*

Cap. XL. Artetari] Cod. *artetauri,* quod in *Arthetauri* mutandum erat. *BC. B.* Vid. quae supra ad cap. 13. annotavi. — materiam] Cod. *materiem,* cui Grynaeus illud temere substituit. *B.*

Cap. XLI. Artetari] Cod. *arcetauri*, quod itidem in *Arthetauri* mutandum erat. *BC. B.* — neque ea, quae victis accidunt, pati] Cod. *neque aliquae*. Propterea scribere malim: *neque alia, quae victis accidunt, pati.* — quid potest queri sibi accidisse] Cf. quae ad Liv. XXXII, 21. p. 173. sq. annotavimus.

Cap. XLII. Pylleon] Cod. *pycleon*, cui auctore Turnebo, quem Lallemandus quoque et Doeringius secuti sunt, *Pteleum* substitui. *B.* Rectius tamen Bekkerus, servata terminatione graeca, *Pteleon* scripsisse videtur. — multo ante debita] Quum collatio codicis *multo anno debita* mihi obtulisset, in maiore Livii editione *multos annos debita* reposui. *BC. B.* Postea tamen Kopitarius per literas mihi significavit, in codice reperiri vulgatum. Itaque hoc in minore editione restitui. Ceterum librarius, id quod Bekkerus non animadvertit, penultimam vocabuli *sacrificandai* literam puncto superimposito induxit. — adscendi] Cod. *escendi*, quod praetuli. *BC. B.* Idem Drakenborchius coll. Liv. XXIX, 11, 5. suaserat. — Et hic] Cod. *et his*, quod Grynaeus temere in illud mutavit. *B.* — cum exercitu me fuisse] Cod. *cum exercitu messe*, cui *me isse* substitui. *BC. B.* Sic supra quoque cap. 40. legitur: *cum exercitu contra foedus Delphos isti*, et XXI, 41. *cum exercitu ire meo.* De erroris origine vid. Annotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 81. — ultra iuga Tauri remotum] Cod. *ultra legatan nemotum.* Recte igitur Gronovius *emotum* scribi maluit. *BC. B.* Eandem medelam cap. 50. adhibendam esse videbimus. Verbum *fuerit*, quod paullo post legitur, Kopitarius in codicis collatione omiserat. — at frustra] Cod. et Frob. 1. *aut frustra*, quod restitui. *BC. B.* Doeringius vulgatum ridicule defendit et explicat, adeoque alteri praefert. Sed salva res est. Nam pro *aut* in ed. Drakenborch. *at* legitur per typographi errorem in permultas Livii editiones propagatum et ne in Stutgardiensi quidem correctum. Lallemandus recte *aut frustra* edidit.

Cap. XLIII. Haec dicenti tum adsensus] Cod. *et dicentem et cum adsensum.* Praestat igitur *cum adsensu* sive *assensu* scribere. *BC.* — legati] Cod. *legati essent.* Auctore Drakenborchio *legati* in *legatos* mutavi. *B.* De verbo *essent* alii viderint. — praetermittendum] Millerus, Ruddimannus, Lallemandus, Doeringius et Rupertius, quos secutus sum, lectionem: *nec praetermittendam spem ullam*, a Grutero profectam, quum gerundium *praetermittendum*, quod in codice et Frob. 1. legitur, verbis: *experienda omnia ad ultimum*, quae praecedunt, non conveniat, recte revocarunt. *BC. B.* Ceterum vid. quae supra ad cap. 5. annotavi. — quis, legati] Cod. *quis*, non *queis*, ut Bekkerus perhibet, Frob. 1. *queis.* Ex Gronovii emendatione scripsi: *quos legati, nullo* etc. *BC. B.* — cuncta multitudine decretum fecit Thebis, ne Boeotae hac urbibus reciperentur] Cod. *eo acta multitudine decretum thebis sine bello et arce urbibus reciperentur.* Bekkerus haec annotavit: „*decretum — urbibus* Grynaeus: L, partim correctum, *decretum thebis sine bello et arce urbibus.*" In qui-

bus quid sibi velint verba: *partim correctus*, non dispicio. Nam *corruptus* pro *correctus* scribendum sit, ipse viderit. — contulerant. Ex contentione ortum certamen] Non maxima, sed media distinctione verbo *contulerant* subiecta, cum Lallemando scripsi: *causam cum Perseo societatis in Ismeniam contulerant: ex contentione ortum certamen*, quum Crevierius, cui post *causam* vocabulum *initae* adiecturo locus Liv. XXIV, 6. *quod unum vinculum cum Romanis societatis erat*, ubi nihil desideravit, aperte refragatur, postrema non Livii, sed Thebanorum verba esse perspexisset. *BC. B.* Weissenbornius Lectt. Liv. Part. I. p. 13. *contulerant et ex contentione ortum certamen*, scribere maluit. Sed Crevierii sententiam satis superque confirmant, quae Livius cap. 60. scripsit: *Et in consilio apud consulem pro se quisque in Aetolos conferebant causam: ab iis fugae terrorisque principium ortum; secutos pavorem Aetolorum et ceteros socios Graecorum populorum.*

Cap. XLIV. suo quique proprio decreto Persei societatem adspernati] Cod. *suo quoque proprio propriam societatem aspernata.* Propterea primum in altera Livii editione vulgato, quod ferri nequit, haec substitui: *suo quique proprio decreto regiam societatem aspernati*; deinde, quum *proprio*, verbis *suo quique decreto* iunctum, plane redundare videretur, ex verbis cap. 43. *quibus populis proprie societatem cum rege iungi displicuisset*, leniore, ut videbatur, medela adhibita, *suo quique decreto propriam societatem aspernati*, scribendum esse, in Melet. crit. Spec. I. p. 26. suspicatus sum. Contra Weissenbornius, cuius verba in Annotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 68. sq. adscripsi, illud potius, quam hoc recipiendum esse, Lectt. Liv. Part. I. p. 13. docere instituit. — abfuit] Cod. *afuit*, quod Bekkerus illi praetulit. — in magno tumultu erant] Cod. *in magno tu erant.* Pro eo, quod Grynaeus, licet Livius XXXI, 10. et XXXII, 21. ita loquatur, parum probabiliter ex corrupta codicis scriptura exsculpsit, nescio an rectius scripseris: *in magno motu erant*, quum syllaba *mo* a praecedenti *no* facile potuerit absorberi, atque haec ad verba cap. 43. *Ibi iam motus coeperat esse*, etc. sint referenda. — convenerat] Addita, quae desideratur et facile intercidit, vocula, *eo convenerat* reponendum esse suspicor. Gronovius idem intendens *et turba*, quod praecedit, iusto audacius in *eo et turba* mutaturus erat. — et his separatim singulis] Recte Gronovius *et his, et separatim singulis*, quod iam Lallemandus et Doeringius receperunt, scribendum esse censuit. *BC. B.*

Cap. XLV. in Asiam circum insulas] Polybio auctore de Drakenborchii et Dukeri sententia *in Asiam et circum insulas* edidi. *BC. B.* Sic etiam supra cap. 19. *ut in Asia quoque et insulis explorata omnia essent.* — P. Postumius] Recte Drakenborchius: „Videtur, inquit, legendum *Sp. Postumius*, ut prior duarum literarum, quibus id praenomen notari solet, intercepta sit ab ultima vocis praece-

dentis." *BC.* In maiore Livii editione vulgatum servaveram. — favere] Scripsi *fovere.* Nec poenitet fecisse. Supra cap. 11. Livius dixit Persea *hereditarium a patre relictum bellum, et simul cum imperio traditum, iam iam primum alere ac fovere omnibus consiliis.* Virgil. Aen. X, 93. *Aut ego tela dedi, fovive Cupidine bella?* Si vulgatum *favere*, sc. belligerantibus, retinendum censueris, non tam *sed adiuvare etiam*, pro quo *sed adiuuarent* in codice legitur, quam *sed etiam adiuvare* scribendum fuisse putaverim. — comparatis] Cod. *praeparatis,* cui Grynaeus, quum *hegesiloco* in codice invenisset et *Hegesilo* pro *Hegesilocho* scripsisset, illud perperam substituit. *BC. B.* Rhodios quadraginta navium classem ante legatorum Romanorum adventum praeparasse, ex sequentibus intelligitur. — multis rationibus] Cod. *multi orationibus*, quod in *multis orationibus* mutavi. *BC. B.* — faciendum] Cod. et Frob. 1. *faciundum*, quod restitui. *BC. B.* Vid. Drakenborch. ad huius libri cap. 1, 11. Sed supra cap. 40. *quae facienda fuerit*, et XLV, 12. *quid faciendum sibi esset,* in codice et Frob. 1. legitur.

Cap. XLVI. a conloquio] Cod. *ad conloquio,* cui *ab colloquio* substitui. *BC. B.* — disiungeret] Cod. et Frob. 1. *diiungeret,* quod Bekkerus revocavit. — a Thebanorum iniuriis] Cod. *ad tebanorum iniuriis.* Hic quoque *ad* in *ab* mutavi. *BC. B.* Sic etiam paullo ante pro *ab rege* in codice *ad rege* legitur.

Cap. XLVII. venturum] Cod. *haecum uenturum.* Vide, ne librarius ad sequentia: *haec ut summa ratione acta,* aberraverit. Infra cap. 62. idem *haecum* pro *haec cum* posuit. — denunciare etiam; interdum locum finire] Cod. *denuntiare etiam interdum finire,* omisso *locum,* quae Bekkerus, quasi re bene gesta, in orationis contextum recepit. Rectius tamen alii de huius loci integritate dubitarunt. Walchius enim *denuntiare aciem, interdiu locum finire,* scribendum censuit Emendatt. Liv. p. 7. sqq. cui Büttnerus Observatt. Liv. p. 100. sqq. recte quidem adversatus est, sed minus recte, temerariam Lindavii Spicileg. crit. in Thucyd. et Liv. p. 17. eiecta voce *denuntiare,* tanquam rarioris *finire* interpretamento, *etiam antea diem et locum finire,* reponentis licentiam iure meritoque aspernatus, *denuntiare certamina, interdum locum finire,* substituendum esse putavit. Quum enim de codicis scriptura certior essem factus, locum lacuna deformatum ita restitui, ut scriberem: *denuntiare etiam interdum pugnam, et locum finire,* quod quidem supplementum, praeterquam quod librarium, quum *interdum* antecedat, verba *pugnam et locum* omisisse apparet, egregie confirmatur verbis Polybii XIII, 3. *ἤ καὶ τοὺς πολέμους ἀλλήλοις προὔλεγον καὶ τὰς μάχας, ὅτε προθοῖντο διακινδυνεύειν, καὶ τοὺς τόπους, εἰς οὓς μέλλοιεν ἐξιέναι παραταξάμενοι,* quae Livius respexit, idemque Baumgarten-Crusius non codicem, ut opinabatur, sed coniecturam nostram secutus recepit. Nihilo minus tamen Weissenbornius, quum iam Heusingerus *denuntiare diem interdum, locum finire,* legendum censuisset, Lectt. Liv. Part. I. p. 23. scribere maluit:

denuntiare etiam interdum diem, locum finire, quod, licet vocabulum *diem*, ut supra cap. 8. prima verbi *diruit* syllaba ab vocabulo *oppidum*, a praecedenti *interdum* facile potuerit absorberi, et Tibullus III, 5, 5. de mortis tempore dixerit: *At mihi Persephone nigram denuntiat horam*, nescio an nostrae emendationi posthabendum sit. Latinos enim *diem constituere* sive *tempus destinare* potius, quam *denuntiare* dixisse, ex Sallust. Iug. cap. 113. *tempore et loco constituto*, Liv. XXXIII, 37. *tempore locoque ad certamen destinato*, et XXXIV, 19. *diem locumque constituant*, quo loco iam Heusingerus usus est, itemque Iacobsius, qui Walchii vestigiis ingressus in Notis in Livii Lib. XXXIII. p. 402. sq. *denuntiare aciem; iter, diem, locum finire*, scribendum esse existimavit, satis superque intelligitur. — proditorem liberorum regis. Haec Romana esse] In codice *libererorum* reperiri, Kopitarius per literas mihi significavit. Hoc tamen levius est: illud multo gravius, quod vocabulum *regis* nullo pacto ferri posse apparet. Totum igitur locum in minore Livii editione ita immutavi, ut scriberem: —*proditorem liberorum. Legis haec Romanae esse*, etc. Sed de huius coniecturae veritate ipse dubitavi in Vann. crit. p. 64. ubi, explosis Doeringii nugis, haec scripsi: „Si vocabulum *regis*, forsitan ex praecedentibus temere repetitum, delendum fuerit, vulgatum: *Haec Romana esse*, tuearis Mucii Scaevolae verbis Liv. II, 12. *Et facere et pati fortia, Romanum est;* sin secus, mecum scribas: *Legis haec Romanae esse*, h. e. moris Romani, *non versutiarum Punicarum*. Terent. Phorm. III, 2, 48. *Mea lege utar*, i. e. meo more. Contrario errore Liv. XLIV, 19. *leges* pro *reges*, XLV, 24. *legis* pro *regis*, et cap. 29. *legibus* pro *regibus* in cod. Vindob. legitur. Illud tamen nunc praetulerim." Nihilo tamen secius Weissenbornius Lectt. Liv. Part. I. p. 27. not. 12. recte miratur, coniecturam a me non probatam esse iis, quae Dukerus ad Liv. XXXII, 25, 2. annotavit, atque addit: „Pro *regis* nescio an legendum sit: *vere haec esse Romana*. cf. XXII, 14, 11. *vere Romanus*, IV, 50. in. XXXVIII, 17. VII, 6." Haec verbo obiecta, ut ait Livius, verbo negare sit. Longius enim haec lectionis vulgatae mutatio, praeterquam quod *Vere haec Romana esse*, vel potius *Haec vere Romana esse*, scribendum erat, a codicis scriptura discedit, quam ut nobis arridere queat. Cur igitur, ut Horatii verbis per iocum abutar, hunc *regem* non iugulamus? — quibus nova haec minus placebat sapientia] Cod. *quibus noua ac nimis placebat sapientia.* Propterea Bekkerus *nova ea* scripsit. Recte secusne, non dixerim. — cominus] Cod. et Frob. 1. *comminus*, quam scripturam praeferendam censet Cortius ad Sallust. Cat. cap. 60. — eodem rursus in Graeciam] Dukero et Crevierio *in Graeciam* suspectum fuit: Ant. Perizonius contra *in Graeciam* servandum, sed *eodem* in *idem* mutandum esse existimavit. Neutrum placet. Similiter enim et alibi *eodem* additur. Liv. XXIII, 34. *Gisgo et Bostar et Mago eodem ad Iunonis Laciniae, ubi navis occulta in statione erat, perveniunt*, XXXVII, 19. *Eodem Adramytteum, ut urbi praesidio essent, navibus circumvecti, Aemilius et Eumenes venerunt*, ubi Doerin-

gius nomen *Adramytteum* ex Dukeri et Crevierii sententia perperam induxit, atque XLI, 17. ubi nomine *Pisas* adiecto, *Eodem Pisas et Q. Petilljus consul ad conveniendum exercitui diem edixerat,* scribendum videri, supra diximus. — accipere] Cod. *accensdere*, cui Grynaeus, quum librarius primum *accensere* scripturus verba *accipere* et *accedere* permutasse videatur, vulgatum probabiliter admodum substituit. Neque tamen prorsus spreverim *accersere*. Ita enim hoc verbum in codice ubique scribitur. Cf. Rud. Stürenburgii Comment. de verbis *arcessendi* et *accersendi*. Hildburghusae, 1839. et quae Wagnerus Orthogr. Virgil. p. 417. contra eum disputavit. Liv. XXXIV, 25. *Tribunis militum, ut exercitum ab Elatia arcesserent, imperavit*, XXXVI, 7. *Nunc quoque arcessas censeo omnes navales terrestresque copias,* et XL, 33. *quum a Celtiberis äuxilia arcessisset.*

Cap. XLVIII. cum quadraginta quinqueremibus] Cod. *cum ·xlu· remibus*. Syllabae *quinque* in numeri quinarii notam abierunt. Librarios alibi quoque ita peccasse, in Annotatt. ad Liv. XXXII, 16. p. 169. docui. — nactus] Cod. *nanctus,* quod Bekkerus hic pariter ac XLIII, 16. et XLIV, 5. recte praetulit. Idem tamen XLIV, 10. servavit vulgatum: *quod fuerat nactus,* pro quo *natum* in codice legitur. Vid. Annotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 94. — ut exercitui diem primam quamque diceret ad conveniendum] Doeringius hic quoque, ut alibi, *ediceret* scribendum censuit. Idem tamen non offendit in iis, quae XLV, 12. leguntur: *quum legionibus ad conveniendum diem dixit*, et *quod vitio dies exercitui ad conveniendum dicta erat.* — Lucretius] Auctore Gronovio *M. Lucretius* scripsi, addita praenominis nota, quam Crevierius quoque et Lallemandus adiecerunt. *BC. B.* — cum quinquereme una] In altera Livii editione scripsi *quinqueremi*, quod factum nollem. Nam Liv. XXVI, 51. *data quinquereme* legitur. Vid. Schneideri Gramm. Lat. Part. II. Vol. I. p. 223.

Cap. XLIX. praecipue tamen] Vocabulum *tamen*, quod in ed. Lugd. a. 1553. primum comparuit, Bekkerus recte exterminavit. — scandentem Capitolium] Cod. *stantem in capitolium,* quod, quum *ad eosdem deos,* sequatur, ita recepi, ut *scandentem in Capitolium* scriberem. *B.* Aliorum locorum, ubi Livius *scandere Capitolium* dixit, diversa est ratio. — clara] Cod. *claram,* non *clarum*, quod Kopitarius in codicis collatione posuerat. — in Apolloniati agro] Cod. *in apollinio . m agro.* Propterea in altera Livii editione *in Apolloniatium agro* scripsi.

Cap. L. aliquamdiu diversis] Cod. et Frob. 1. *aliquam diuersis*, cui Sigonius vulgatum recte substituit. Vid. Annotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 81. — denique] Pro eo Kopitarius, id quod ipse postea mihi significavit, perperam *demum* in codicis collatione posuerat. — recuperare] Cod. *reciperare*, quod hic et supra cap. 8. a me quoque in maiore Livii editione probatum Bekkerus servavit. — ultra iuga Tauri remotum] Cod. *ultra iuga turienmotum*. Gronovius igitur hic

quoque ut supra cap. 42. *remotum* in *emotum* esse mutandum, recte suspicatus est. *BC. B.* — et quod] Cod. *et quod quia.* Haec alii expediant. Pro *sicubi*, quod sequitur, librarius *sic tibi* scripsit. — Dum integrae res * * apud animum suum Persea debere] Cod. *dum integrae aput animum sum persea debere.* Frob. 1. *integrae res.* Drakenborchium secutus verba: *res sint, statuere,* uncis inclusa supplevi, ita tamen, ut pro *sunt*, quod Baumgarten-Crusius retinuit, de Sigonii sententia scriberem *sint*, quod oratio obliqua requirit. Vid. Melet. crit. Spec. I. p. 10. — ita ut viro forti dignum sit] Cod. *aut uiro forti dignum sit*, cui Bekkerus, quum rectius, addita particula *ut* a praecedenti *aut* et sequenti *uiro* intercepta, edidissem: *aut, ut viro forti dignum sit*, perperam substituit: *ut viro forti dignum sit.* Baumgarten-Crusius, id quod miror, vulgatum servavit. — liberet orbem terrarum ab imperio Romano] De praepositione *ab* a Livio praeter morem adiecta cf. Fabri ad Liv. XXIII, 37, 10.

Cap. LI. sacrificio regaliter Minervae, quam vocant Alcidem, confecto] Cod. *alcidem confacto*, quod in *Alcidemon, facto* mutavi. *BC. B.* Bekkerus autem me secutus integram huius emendationis gloriolam Turnebo tribuit, qui Advers. XXX, 37. nihil nisi hoc annotavit: „Animo incessit meo libido *Alcidemon* scribendi;" ideoque vocabulum *confecto*, quod hic, licet infra cap. 55. et XLIV, 19. *sacrificio rite perfecto*, atque cap. 37. *sacrificio rite perpetrato* legatur, simplici *facto*, quod etiam XLV, 27. et 28. reperitur, cedat necesse est, non mutandum esse censuit. — quadraginta millia] Iam Doeringius, quem secutus sum, ex certissima Gronovii emendatione *quadraginta tria milia* edidit. *BC. B.* Quod sequitur *armata* nescio an in *armati*, quod Dukerus suasit, vel in *armatorum* sit mutandum. — duo erant agemata: hanc ipsi legionem vocabant] Cod. *hagema*, non *agemata*, quod in Frob. 1. legitur. Quare haud cunctanter, quum Macedonas unum *agema* habuisse constet, eosque, id quod Dukerus et Doeringius opinati sunt, vocabulum latinum *legio* in λεγεῶν mutatum usurpasse, non probabile sit, verborum interpunctione mutata et vocabulo *milia* adiecto, scripsi: *Delecta deinde et viribus et robore aetatis ex omni caetratorum numero duo milia erant: agema hanc ipsi legionem vocabant. BC. B.* Sic infra cap. 58. *Medius omnium rex erat: circa eum agema, quod vocant, equitumque sacrae alae*, et XXXVII, 40. *Addita his ala mille ferme equitum: agema eam vocabant.* Praeterea etiam supra cap. 47. *duo peditum* pro *duo milia peditum* in codice legitur. De vitii origine a permutatis numerorum notis *II*, id est *duo*, quod in codice perscriptum est, et $\overline{II}$, id est *duo milia*, repetenda vid. Gronov. ad Liv. XXXIV, 10, 4. atque de vocabulo ἄγημα cf. Sturzii librum de dialecto Macedonica et Alexandrina p. 30. et Haasium ad Xenophont. de Rep. Laced. cap. 14. p. 274. sqq. qui Livii editiones nostra pariter ac Baumgarten-Crusii et Bekkeri opera adornatas inspicere dedignatus locum a nobis certissima emendatione persanatum p. 276. rursus ita corrupit, ut perperam: *hanc ipsius*, id est regis, *legionem vocabant*, scribendum esse existimaret. — Leonatum] Cod. *leonnatum*, quod hic et

infra cap. 59. praetuli. *BC. B.* Nam Graecis *Λεοννάτος* vocatur. — ex Sintiis] Cod. *ex intris*. Drakenborchio obsecutus in altera Livii editione *ex Sintis* scripsi. — Summa totius exercitus] Cod. *ita summa totius exercitus*. Particulam *ita* a Grynaeo omissam restitui. *BC. B.* Vid. Handii Tursellin. Vol. III. p. 487. Diversa est ratio verborum: *Summa omnium quadraginta milia armata fuere,* quae supra leguntur. — triginta novem millia peditum] Cod. *xxxuiii peditum*, Frob. 1. *XXXIX milia peditum*. Malim igitur *undequadraginta milia peditum* scribere.

Cap. LII. quorum maior Philippus] Cod. *cuius uel quorum pars philippus*. Quae quid sibi velint, exputare non possum. Librarius ad verba: *cuius magna pars matura militiae esset,* quae supra leguntur, per errorem recurrisse videtur. — iniuriam populi Romani] Crevierius *iniurias* scribere maluit. Et recte quidem. Supra quoque XLI, 24. *ut unius philippi iniuriam,* pro *iniurias,* in codice legitur. — deinde conloquio] Cod. *deinde in conloquio*. Sic Kopitarius codicis scripturam enotavit. Bekkerus tamen librarium *dein* bis posuisse ratus hoc ipsum vulgato *deinde* substituit. Nec intercedo, quo minus ita scribatur. — Arma illos habere ea, quae] Cod. *armat plios habere eaque*. Recte tamen Grynaeus corruptam codicis scripturam emendasse videtur. — fuerant] Verissime Dukerus: „Oratio obliqua postulat *fuerint*.“ Hoc Bekkerus recepit. — animum habendum esse] Cod. *animum hos,* addito pronomine, quod in *his* mutandum esse coniicias.

Cap. LIII. descendit ad (Tripolim vocant) Azorum, Pythium, et Dolichen incolentes] Cod. *descendit ad tripolim uocant ad zoris pytolum et doscen incolentis*. Frob. 1. *Pythoum*, quod Sigonius in *Pythium* mutavit, et *incolenteis*. Urbium nomina misere depravata Grynaeus correxit. Sed verba: *Tripolim vocant,* haud dubie loco suo mota Iacobsius in Notis in Livii Lib. XXXIII. p. 401. ceteris recte subiecit hunc in modum: *descendit ad Azorum, Pythium et Dolichen incolentes. Tripolin vocant.*

Cap. LIV. et obpugnatae sunt, et defensae] Cod. *et oppugnata est defensa,* quod, ut Grynaei emendationem tuearis, ex *et oppugnatae st'*, id est *sunt,* subortum esse dixeris. At quum primum hoc scripturae compendium illa aetate, qua codex exaratus est, nondum in usu fuisse videatur, deinde nomen *Mylae* longius remotum sit, quam ut commode hic possit suppleri, denique *defensa* in codice legatur, totum locum, vocabulo *urbs* post *triduum* inserto, ita scribere malim: *Itaque per triduum urbs ingentibus utrimque animis et oppugnata est, et defensa.* Sic paullo post: *Ita capta urbs ac direpta est.* — diem, noctem] Omissa coniunctione, ut alibi. Vid. Garaton. ad Cic. Philipp. XIV, 7. Tom. II. p. 564. ed. Wernsdorf. — quum et scalae] Cod. *cum scalae*, omisso *et*, quod nescio an temere in altera Livii editione deleverim. Liv. XXXIII, 17. *Interim et scalis capta multis locis moenia, et per stragem lapidum ac ruinas transcensum in urbem.* — ne tentata quidem ob-

pugnatione] Cod. *ne pugnata quidem oppugnatione.* Grynaeus recte *pugnata* in *tentata* mutavit. Vid. Annotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 79. — quae Tempe adeunt] Cod. *quae tempestate adeunt.* Una tantum litera inducta scripsi: *qua Tempe adeunt*, coll. Curt. VI, 4. *valle, qua Hyrcaniam adeunt*, quae Livio ab eius imitatore sublecta esse videntur. *BC.* Nam nomen *Tempe* hic in *tempestate* et infra cap. 61. in *tempeste* corruptum esse, nemo non videt. Quapropter accedere nolim Weissenbornio, qui *qua Tempe saltus adeunt* scribendum esse Lectt. Liv. Part. I. p. 28. not. 13. suspicatus est. Bekkerus Gronovio obsecutus *qua Tempe adeuntur* edidit.

Cap. LV. Sceam vocant] Immo *Scaeam*, ut Douiatius scribendum esse monuit, ita vocari existimans, quod sita fuerit ad laevam Penei ripam. *BC. B.* — quantum in tota gente equitum erat] Cod. *ad tota gente*, cui *ab tota gente* substitui. *BC. B.* Vid. Handii Tursellin. Vol. I. p. 35. — et Thessalorum omnis equitatus separatus erat] Cod. *tessalorum* et *separatus*, non *superatus*, ut falso perhibet Bekkerus, qui ex Drakenborchii coniectura *et Thessalorum omnis equitatus speratus erat*, edidit et his verbis, omisso *quorum*, quod Drakenborchius ab ultima nominis *Thessalorum* parte haustum esse existimavit, non maximam, sed minimam interpunctionem subiecit. Hoc ferri nequit. Si quid mutandum, vel pronomen illud inserere, vel Heusingerum sequi malim, qui totum locum ita constituendum censuit: *et Thessalorum (omnis equitatus speratus erat) non plus quam trecenti erant equites in castris Romanis.* Verum sic quoque servari possit *separatus erat*, id est separatim tendebat. Ceterum, ne quid dissimulem, etiam supra cap. 46. *separaret* pro *sperarot* in codice legitur. — ad mille dederunt] Cod. *ad mille a dederunt.* Supra cap. 1. pro *mille et quingenti* in codice *mille et ·a·*, atque XLIV, 25. pro *mille et quingenta* in eodem ∞ *et a* scriptum est. Propterea hic quoque, ut alibi, literam *a* pro numeri quingenarii nota *D* a librario positam esse opinatus in altera Livii editione scripsi: *ad mille quingentos dederunt.* Neque tamen diffiteor, librarium ad voculam *ad*, quae praecedit, recurrere et priore eius litera per errorem repetita *adederunt* scribere potuisse.

Cap. LVI. obsidio] Huic vocabulo pronomen *cuius* in codice subiicitur. Quorsum hoc pertineat, alii viderint. — Praetor] Cod. *phas p̄r.* Ex hac codicis scriptura *Has praetor* etc. Livio restitui. *BC. B.* Librarius enim primum, pronomine *has* omisso, *p̄r.* sive *praetor* scripturus erat. Grynaeum hoc non vidisse miror, ac paene indignor. — ab castris] Cod. *a castris*, quod codicis auctoritati obsecutus recepi. *B.* Baumgarten-Crusius vulgatum servavit.

Cap. LVII. bellum ordirentur] Cod. *bellum dirimerentur*, quod, licet Liv. XXVII, 30. et XL, 52. bellum *dirimi* dicatur, ferri non posse apparet. Prima verbi *ordirentur* syllaba nescio quo casu ablata, tres reliquae *direntur* in *dirimerentur* abierunt. — aberant] Kopitarius in codicis collatione per errorem *aberat* pro

aberant codici tribuerat. — adgrederentur] Recte Bekkerus huic verbo non punctum, sed semicolon subiecit.

Cap. LVIII. Visus et plurium et propior solito pulvis] Cod. *plurimum et proprior*. Livius paullo post scripsit: *ut plurium clamore et cursu a portis dubitatio exempta est*. Ita eundem paullo insolentius, quum *pulvis* non aeque ac *clamor* et *cursus* actionem significet, *plurium pulverem* pro *pulvere a pluribus excitato* ponere potuisse, cur negem, non reperio. Sic Caes. B. C. II, 43. *iamque se pulverem venientium cernere*, et III, 36. *ut simul Domitiani exercitus pulvis cerneretur*. Facere tamen non potui, quin *plurimum*, quod in codice legitur, in *plurimus* mutarem. *BC. B.* Etenim e longinquo vix poterit discerni, utrum pulvis a pluribus an paucis excitetur. Adde quae supra leguntur cap. 57. *nam duodecim milium passuum via omnis sine aqua et plurimi pulveris erat*. — Milo Beroeaeus] Cod. *midon uere eius*, Frob. 1. *Midon Bereus*. Rupertius, quum Polyb. XXVII, 8, 5. *Μήδων Βεροιεὺς* dicatur, recte *Medon Beroeaeus* scripsit. *BC. B.* Vid. quae ad XLIV, 32 et 45. annotavi. — equitumque sacrae alae] Cod. *equitum sacraeque ale*, cui nunc, vocabulis aliter transpositis, *sacraeque equitum alae* substituere malim. Cf. quae ad Liv. XLI, 23. de eiusmodi librarii erroribus dixi. — expleverat. Ionem] Cod. *explebat rationem*. Quamvis dubia sit et depravata codicis scriptura, tamen *explebat* vulgato substituere praestiterit. *BC. B.* — misit] Bekkerus, non monito lectore, scripsit *emisit*, quod a Grutero profectum Drakenborchius recte probavit. — eiusdem gentis levem armaturam] His auctore Drakenborchio praemisi copulam *et* a sequenti *eiusdem* interceptam. *BC. B.*

Cap. LIX. concitati] Cod. *ita concitati*, cui coll. Liv. XXIII, 7. et XXXV, 18. atque Quinctil. Inst. Orat. VI, 3, 46. substitui *ira concitati*, ad exemplum Gronovii, qui Liv. XXIV, 16. vocabulum *ita* eodem modo emendavit. *BC.* Neque tamen nunc Bekkero intercedo, quo minus verba: *ita concitati incurrerunt*, ad sequentia: *ut usu belli et ingenio impavida gens*, vulgari ratione referantur. — turbaretur. gladiis hastas petere pedites, nunc succidere crura equis, nunc ilia subfodere] Cod. *turbaretur ....dis hastas petere pedites ....mquei nunc succidere crur..... nunc ilia suffodere*. Non nisi haec ex detrita codicis scriptura erui posse, Kopitarius in literis ad me datis testatus est. Recte igitur, quidquid Baumgarten-Crusius cum Sigonio et Drakenborchio obloquitur, lacunarum signa restitui. *B.* Quid lateat in literis *mquei*, quarum ultima puncto superimposito inducta videtur, nemo facile dixerit. — disiunctus] Cod. et Frob. 1. *diiunctus*, quod Bekkerus revocavit. — Quum, victor equestri proelio rex parvo momento si adiuvisset, debellatum esset, opportune adhortanti] Hunc locum Walchius, quem secutus sum, Emendatt. Liv. p. 261. sq. ita restituit, ut scriberet: *Quum victor equestri proelio rex, Parvo momento si adiuvissent, debellatum esse; opportune adhortanti*

supervenit phalanx etc. *BC. B.* Postea mihi, quum pro *esset*, quod Grynaeus reposuit, in codice *esse et* reperiatur, atque *ei* librariorum negligentia saepissime in *et* abierit, potius: — *debellatum esse; ei opportune adhortanti supervenit phalanx*, scribendum esse, in Vann. crit. p. 62. coniectanti propter praeposteram verborum collocationem recte adversatus Weissenbornius Lectt. Liv. Part. I. p. 12. totum locum ita legendum censuit: *Quum victor equestri proelio rex, parvo momento si adiuvisset, debellasset, opportune ad hortandum supervenit phalanx* etc. Quod quidem, ut fatear, nondum omnes huius loci difficultates esse sublatas, mihi non magis probatur, quam Heusingeri: *opportune ad hortamen supervenit.* — Leonatus] Cod. *leonnatus*, quod hic quoque ut supra cap. 51. praetuli. *BC. B.* — agmen inpeditum] Cod. et Frob. 1. *agmen impeditum.* Recte Perizonius: „Scribe *agmen peditum*. Paullo post de iisdem: *peditumque agmen redire in castra iubet.*" *BC. B.*

Cap. LX. capti ferme ducenti equites] Cod. *capti ac ferme ducenti equites.* Quum hic quoque, ut XLIII, 12. et alibi, *ac* pro *DC* sit positum, sine ulla dubitatione scripsi: *capti sexcenti ferme equites*, omisso vocabulo *ducenti*, quod ex praecedentibus male repetitum est. *B.* Cf. Plutarch. Aemil. cap. 9. ubi idem equitum captorum numerus reperitur. — transductis] Hic quoque, ut supra cap. 22., non erat, cur in minore Livii editione *traductis* scriberem. — communit] Cod. *communiri*, pro quo nescio an *communire* sit reponendum. — primi] Cod. *qui primi.* Propterea totum locum ita suppletum edidi: *Quinque principes Aetolorum, qui primi terga vertentes conspecti dicebantur, Romam missi.* Verba: *Romam missi*, quae in codice non reperiri Bekkerus, ut solet, annotare neglexit, adieci ex Appian. Rom. Hist. IX, 10. *Αἰτωλῶν δὲ καὶ ἑτέρων Ἑλλήνων κατεψεύσατο, ὡς πρώτων τραπέντων· καὶ τούτους ἐς Ῥώμην ἔπεμψεν.*

Cap. LXI. dona ex his] Doeringius *donat* scribendum, et verba *dona dabat*, quae sequuntur, delenda censuit. Illud probo, hoc non item. *BC.* — per se ampla, pleraque] Cod. *per se ampletaque*, quod Grynaeus recte in illud mutasse videtur. Bekkerus tamen vocabulum *pleraque* uncis inclusit. — ante ora sua] Cod. *anora sua*, non *an...ora sua*, ut Bekkerus falso perhibet. Nam literas *an* in extremo versu positas esse, Kopitarius, qui paullo post in codicis collatione perperam *et ex quo eo acciderat quem futuri praeponentes* pro *et ex quo acciderat spem futuri praeponentes* scripserat, postea me docuit. Gronovius vel *facinora sua*, quod recepi, vel *decora sua* scribendum esse coniecit. *BC.* Illud, quum proximum *gerentes*, id quod iam Drakenborchius recte suspicatus est, literam *f* intercipere potuerit, ad codicis scripturam propius accedere videtur, hoc tuearis loco simillimo Liv. XXI, 43. ubi Hannibal: *Non ego*, inquit, *illud parvi aestimo, milites, quod nemo vestrum est, cuius non ante oculos ipse saepe militare aliquod ediderim facinus; cui non idem ego, virtutis spectator ac testis, notata temporibus locisque referre sua possim*

decora. — Mopsium] Cod. et Frob. 1. *mopselum*, quod Rupertio obsecutus hic pariter atque infra cap. 65. et 67. revocavi. *BC. B.* Vulgatum Sigonio debetur. — tumulus hic inter Tempe et Larissam medius est] Cod. *tumulus hyc ante tempeste est eminet larisae medius abest onum*, omisso nomine *Romani*, quod cap. 62. sequitur. Propterea in altera Livii editione scripsi: *Tumulus hic ante Tempe est et eminet Larissae medius*** Malim tamen: *et imminet Larissae*, quod Weissenbornius probavit Lectt. Liv. Part. I. p. 28. not. 13. quam in Annotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 87. adscripsi.

Cap. LXII. de summa] His Drakenborchius vocabulum *belli* recte addidit. *BC. B.* — in conditione] Gronovius maluit *in conditionem*, quod recepi. *BC. B.* — a T. Quinctio] Pro *pacem a T.* in codice *a pacē bt* legitur. Librarium igitur, vocabulo *pacem* omisso, *ab t.* scripturum fuisse apparet. Quapropter *ab T. Quinctio* edidi. *BC. B.* Ceterum hic non *quintio*, ut alibi, sed *quinctio* in codice reperiri, ex Kopitarii silentio colligas. — finiri] Cod. *sinere.* Quid, si *desinere* scribas? Sallust. Iug. cap. 83. *omne bellum sumi facile, ceterum aegerrume desinere.* — a tam memorabili pugna] Cod. *apta memorabili pugna*, cui *ab tam memorabili pugna* substitui. *BC. B.* — Pacem petere] Ex Perizonii coniectura cum Lallemando *Pacem petiere* dedimus, ut haec essent Livii verba, non legatorum. *BC. B.*

Cap. LXIII. quidam vim superbiamque experti] Weissenbornius Lectt. Liv. Part. II. p. 6. not. 3. vel *vim superbiamque regis experti*, vel *vim superbiamque experti Persei* scribendum esse coniecit. Illud equidem praetulerim. — non ob aliam caussam] Cod. *non ab aliam causam*, pro quo Kopitarius in codicis collatione per errorem scripserat *non aliam ob causam*, quod Bekkerus nihil fraudis subesse ratus recepit. Vid. not. 8. prooemio subiectam. Liv. XLV, 25. *ob nullam aliam causam.* — obpugnarat] Drakenborchius et Dukerus recte maluerunt *oppugnabat*, quod illi substitui. *B.* — libramento plumbi] Cod. *nunc libramento plumbi.* Quemadmodum XLV, 37. ante *neque fecerunt*, ita hoc quoque loco integra orationis particula, veluti: *nunc saxis ingentibus*, intercidisse videtur. Cf. Liv. XXXVIII, 5. *in arietes tollenonibus libramenta plumbi aut saxorum stipitesve robustos incutiebant.* Persimili coniectura ductus Grynaeus supra cap. 25. *aut venientibus*, et cap. 28. *alterum decessisse*, atque XLIV, 35. *hinc rege* supplevit. — ut corona undique moenia adgressurus] Recte Drakenborchius voculam *ut* ex ultimis verbi *iussit* literis natam delendam esse censuit. — qua duae turres, quodque inter eas muri prorutum fuerat] Cod. *qua duae uttres quoque inter eas muri fuerat*, omisso *prorutum*, quod Grynaeus, nisi fallor, addidit ex XXXII, 24. *quantum inter turres muri erat prorutum.* Nihilo minus in altera Livii editione *fuerat* in *ruerant* mutavi. Liv. XXI, 11. *Itaque latius, quam caederetur, ruebat*, sc. *murus*, et XXXIII, 17. *Itaque multis simul locis aut subruti, aut ariete decussi ruebant muri.* Praeterea cf. XXI, 8.

XXXII, 1. et XXXIV, 29. ex quibus locis colligas, Livium hic quoque scripsisse: *qua duae turres, quodque inter eas muri erat, ruerant,* id est prociderant. — vim eius] Cod. *tũ eius.* Malim igitur *impetum eius* scribere. Neque tamen nego, *uim* in *tũ* sive *tum* abire potuisse.

Cap. LXIV. exciverunt] Cod. *excitauerunt,* quod Grynaeus temere in illud mutavit. *BC. B.* Liv. II, 25. *Sensere vigiles: excitatus exercitus: signo dato concursum est ad arma,* et XXIV, 40. *Caedes proximorum portae excitavit hostes.* Verbum *excire* huic loco minus est accommodatum. — et intentus propugnationi castrorum] Cod. *et inconste oppugnationis castrorum.* Lacunae signo hic quoque posito, ut haec verba ad Persei temeritatem referantur, scripserim: *et inconsultae oppugnationis castrorum.* Sic Liv. XXII, 44. *inconsulta atque improvida pugna,* et XXIII, 7. *inconsultum certamen* dicitur. Aliter tamen visum est Weissenbornio, qui Lectt. Liv. Part. II. p. 9. de nostra huius loci mutatione haec scripsit: „Sed dubito num inconsultae oppugnationi locus sit, nam ex iis, quae antecedunt, et occasionem bene gerendae rei fuisse, et omnia recte a Perseo esse administrata apparet, et periculosum est de lacuna cogitare ubi quaedam inveniuntur, quae num recte legantur, sunt dubia. Itaque a librario ita peccatum esse ratus, ut, quod haud raro factum esse constat, cf. Alschefski p. LXVII. [praefationis tricesimo Livii libro praemissae,] literarum ordinem turbaret, quaedam corrumperet, crediderim Livium scripsisse: *non institit oppugnationi castrorum.*" Quam recte, alii viderint. — sub lucem] Cod. *sub luce,* quod vulgato praetuli. *BC. B.* Idem Liv. XXV, 24. et Ovid. Met. I, 494. legitur. „Sciunt, inquit Baumgarten-Crusius, latinitatis gnari, quid discriminis sit inter utramque formam." Vid. Drakenborch. ad Liv. II, 55, 1. — qui postquam nihil movebant] Pro *qui* in codice *quattuor* legitur, miro sane librarii errore, ita quidem explicando, ut pronomen *qui* in numeri quaternarii notam *IIII* mutatum esse statuas.

Cap. LXV. effuso agmine issent] Doeringium secutus scripsi *isset,* quod ad regem referendum est. *BC. B.* Sic etiam Liv. XXVI, 3. non exercitus, sed dux *agmine inexplorato ire* dicitur. — ab iactu] Cod. *abiectus.* Similiter librarius XLIII, 10. peccavit. Recte enim Dukerus *ab ictu* scribendum esse docuit. *BC. B.* — Anceps] Cod. *religes.* Illud, quod Grynaeus haud dubie ex Liv. VI, 9. et XXI, 28. sumsit, in hoc abire non potuit. Certiora tamen et meliora dare nequeo. Syllaba *re,* quae in extremo versu legitur, ex praecedenti *ingerere* male repetita videtur. Quid autem in literis *liges* lateat, nemo facile dixerit. Num *ingens* scribendum? Cf. Ernestii Gloss. Liv. et Boetticheri Lex. Tacit. s. v. *circumstare.* — sagittisve] Cod. *sagittisque,* quod Grynaeus in illud mutare non debebat. *BC. B.* Vid. Walchii Emendatt. Liv. p. 54. — crassitudine digiti] In codicis collatione Kopitarius *altitudine diciti* scripsit, idemque Bekkerus codici tribuit. Sed *crassitudine diciti* in co-

dice reperiri, Kopitarius postea me docuit. — huic ad libramen pinnae tres, velut sagittis solent, circumdabantur] Cod. *huic ab lege braeue pinnae tres uelut sagittis soleut circumfundabantur.* Grynaeus in hoc loco emendando frustra elaboravit. Propterea certiore coniectura ductus meo periculo edidi: *Huic abiegnae breves pinnae tres, velut sagittis solent, circumdabantur,* quae cum verbis Polybii XXVII, 9. εἰς δὲ τούτου τὸ μέσον ἐσφήνωτο πτερύγια τρία ξύλινα, βραχέα παντελῶς, optime conveniunt, et ad literarum, quae in codice supersunt, ductus proxime accedunt. *BC. B.* Similiter etiam Liv. XXI, 8. in falaricae descriptione vocabulum *abiegno* a librariis depravatum est. De duobus adiectivis uni substantivo iunctis vid. Drakenborch. ad Liv. I, 14, 7. et Walchii Emendatt. Liv. p. 83. Ceterum vocabulum *funda,* quod sequitur, haud dubie effecit, ut librarius *circumfundabantur* pro *circumdabantur* scriberet. — funda media duo funalia inparia habebat] Cod. *funda media duo cum alia inpari habebat.* Dubites igitur, an Grynaeus hunc locum recte emendaverit. Ernestius in Gloss. Liv. s. v. *scutale,* quod falso dicit significare partem fundae, cui imponatur lapis mittendus, annotavit, patruum scribere maluisse *scutalia,* id est habenas sive lora, quod non displicet. Liv. XXXVIII, 29. de funda Achaica: *Et est non simplicis habenae, ut Baliarica aliarumque gentium funda: sed triplex scutale, crebris suturis duratum, ne fluxa habena volutetur in iactu glans; sed, librata quum sederit, velut nervo missa excutiatur.* Habena fundae a Polybio aliisque κῶλον vocatur. Suidas: Κῶλα· τὰ τῆς σφενδόνης ἑκάτερα μέρη. Vid. Lipsii Poliorcet. IV, 3. — maiori sinu] Cod. *maioris sinu.* Quum frustra locum quaesivissem, ubi media fundae pars, cui glans imponebatur, *sinus fundae* vocetur, et bipalme spiculum hastili semicubitali infixum maiore, quam glans vulgaris, contentione virium esset librandum, pro *maiori sinu* in altera Livii editione *maiori nisu* reponendum esse putavi. *Maiore nisu,* quod Livio quoque restituendum videtur, dixerunt Virgil. Aen. III, 37. Phaedr. I, 24, 7. et Colum. II, 2. quibus adde Sil. Ital. XV, 754. *Hastam praepropero nisu iacit.*

Cap. LXVI. vehiculisque frumento onustis: iis caesis] Cod. *onustiis caesis.* Iacobsius in Notis in Livii Lib. XXXIII. p. 391. minus probabiliter *onustis, iisque densis,* Heusingerus coll. Liv. XXIX, 33. *duae turmae haesere,* rectius *onustis, iis haesit* scribendum esse censuit. Hoc Bekkerus recepit, ita tamen, ut, pronomine *iis* omisso, loci depravati emendationem absolveret. — utcumque explicaretur agmen] Pro *dum utcunque,* quod Bekkerus ex Gronovii coniectura recepit, *ut utcunque* scripsisse, non est cur me poeniteat. *BC.* Nam vocula *ut* facilius, quam *dum,* a proximo *utcunque* potuit intercipi. — detrudentibus] Cod. *deitinentibus,* quod, licet librarius tertiam huius vocabuli literam puncto superimposito induxerit, non tam in *detinentibus,* quam in *deicientibus* sive *deiicientibus* mutandum esse apparet.

Cap. LXVII. et propinquos tentare] Cod. *et propinquo temptare.* Propterea

in altera Livii editione reponere non dubitavi: *ex propinquo tentare*, id est adoriri. Nam voculas *et* atque *ex* a librariis saepe permutari, supra ad XLI, 4. docuimus et infra ad XLIV, 42. docebimus, et nostram huius loci emendationem confirmat ipse Livius, qui, diversa quidem verbi *tentare* significatione, sed tamen similiter XXVIII, 3. de L. Scipione Oringin obsidente: *misit ad portas,* inquit, *qui ex propinquo alloquio animos tentarent*, id est experirentur. — et Corragum] Cod. *corrachum*, Frob. 1. *Corracum*, omisso *et*, quod, nomine *Corracum* in *Corragum* mutato, in Frob. 2. adiectum esse, Drakenborchius annotare neglexit. — inexpugnabilis res esset] Gronovius vocabulum *res*, quod ferri nequit, in *urbs* mutandum esse coniecit. Bene quidem; dummodo hoc non nimis longe a codicis scriptura recederet. Itaque coniecturam in Epist. ad Goeller. p. 478. propositam secutus vulgato *res esset* in minore Livii editione *restitisset* substitui. Vides, errorem peperisse errorem, atque *restitisset* primum in *restisset*, deinde in *res esset* prono lapsu abiisse. Neque ad verba coniugata *restitisset* et *abstitit* quisquam offendet, qui meminerit, talia apud optimos quosque scriptores reperiri. Livius ipse, ut ex hoc petam exemplum, XXXIII, 41. scripsit: *ad restituendam, ut instituerat, Lysimachiam*.

LIB. XLIII.

Cap. I. equestri pugna vicere Romani] His verbis Bekkerus non satis accurate hanc subiecit annotationem: „Haec in L hoc loco non inventa fecit Grynaeus ex iis quae post *oppida* adduntur, *oppugna j vicere mi am.*“ Kopitarius enim literam *j* vel potius *i* puncto superimposito inductam esse, iam in codicis collatione significaverat, et postea me docuit, syllabam *mi* in extremo versu legi atque praeterea non *ui adque armis*, quod in codicis collatione posuerat, sed *uia adque armis* in codice reperiri. Weissenbornius Lectt. Liv. Part. I. p. 27. quum in proferenda codicis scriptura pro *oppugna j*, quod Bekkerus exhibuit, perperam *oppugna*; scripsisset: „Non nimis, inquit, a vero aberrare puto ita locum refingens: *Eadem aestate qua in Thessalia ..... legatus — missus opulenta duo oppida oppugnare coeperat. Unam vi atque armis coegit in deditionem*; paulo post revocans codicis lectionem: *quam prius intactam urbem reliquerat.*“ De his alii viderint. Post *in Thessalia* verba: *haec gesta sunt, Q. Mucius,* quem hoc loco commemoratum esse Sigonius existimavit, intercidisse videntur. — Legati hi profecti] Cod. *hii*, quod Kopitarius in codicis collatione praetermiserat. Grynaeus *ii*, Gronovius *hi* edidit. Librarios *hii* pro *ii* et *hi* posuisse, satis constat. Sic etiam infra cap. 20. *hii transgressi*, XLIV, 31. *hii duo amnes*, XLV, 26. *hii primi inuenti sunt*, cap. 31. *hii cum frequentes* etc. atque cap. 35. *hii quoque* in codice legitur. Gronovio tamen hic assentior.

Cap. II. a quibus Hispani pecunias peterent] Cod. *repeterent*, quod vulgato praeferendum esse nemo non videt. *B.* Baumgarten-Crusium mihi non obsecutum esse miror. — recuperatores] Cod. *recuperarent*, sed paullo post *reciperatores*, quod Bekkerus utroque loco praetulit. — consultum] Cod. *consultamentum*, quod in *consultum tamen* mutavi. *B.* Nam quae praecedunt: *praeteritis silentio obliteratis*, idem significant quod *quamquam praeterita silentio obliterata sunt.* Si quis autem *in futurum tamen consultum ab senatu Hispanis* scribere maluerit, equidem non refragabor. Librarium enim diverso modo peccare potuisse apparet.

Cap. III. supra quatuor millia hominum] Cod. *supra quattuor milia hominum ex hispania.* Verba: *ex Hispania*, a librario ex capitis principio repetita esse apparet. — Latinam eam coloniam fuisse] Immo *esse*, quod auctore Gronovio recepi. *BC. B.* — Gulussa, Masinissae regis filius] Quum pro *regis* in codice *regulus* ex-

stare didicissem, verbis transpositis scripsi: *Gulussa regulus, Masinissae filius. BC. B.* Sic XLII, 24. de eodem: *Ita regulus Carthaginiensesque dimissi.* — habeant] Cod. *habeant hanc iniec*, quae in extrema pagina leguntur. Has verborum reliquias ita servavi, ut ederem: *habeant. Hanc iniec* * * *BC.*

Cap. IV. * * * tantum pavorem ingressi castra] Cod. *tis tantum extitit pauor ingressi castra.* Bekkerus a Kopitario, qui in codicis collatione annotare neglexerat, inter *iniec* et *tis* permagnam historiarum Livianarum partem intercidisse, in errorem oppido ridiculum inductus diversorum vocabulorum syllabas ita coniunxit, ut verba *hanc iniectis* capiti praecedenti perperam adiiceret. Baumgarten-Crusius me secutus est. Iam vero quum lectio vulgata, quam Grynaeus ita consarcinavit, ut syllabam *tis* et verbum *extitit* omitteret, a codicis scriptura longissime discedat, et si *tantus exstitit pavor* reposueris, neque proxima: *ingressi castra*, illis apte coeant, neque verbum *fecerunt*, quod sequitur, in antecedentibus habeat, quo referatur, Livium: * * *tis. Tantum exinde pavorem ingressi castra, ostentantes capita, fecerunt*, etc. scripsisse suspicor. Etenim ex Liv. X, 26. et XLII, 60. colligo, lacunam verbis: *amborum capita gestantes infixa hastis*, vel: *amborum capita hastis infixa gestantis*, id est *gestantes*, cui librarius, quem etiam XLIV, 9. *distantis* pro *distantes* scripsisse in Annotatt. ad Liv. XXXIII, 1. p. 4. diximus, illud perperam substituerit, explendam esse, atque adverbium *exinde*, quod etiam Liv. XXIV, 42. XXXI, 4. et 6. XXXVII, 43. et 47. XL, 35. et XLII, 9. mediae orationi interponitur, ita corruptum esse, ut scripturae compendium *exin̄* a librario in *extitit* mutaretur, a vero non magis abhorrere arbitror, quam ultimas vocabuli *pavorem* literas a sequente *ingressi* esse interceptas. Meliora et certiora dabunt alii, quibus maius ingenii acumen contigit. — petierunt] Cod. *petierint*, quod Gronovius certa coniectura praecepit. *BC. B.* — Indigna senatui visa] Cod. *indigne senatui uisa.* Recte igitur eodem Gronovio auctore scripsi: *Indigna res senatui visa. BC. B.* Vocabulum *res* intercidisse, codicis scriptura non significare, sed declarare videtur.

Cap. V. Sub id tempus] Hic quoque, ut alibi, ubi res diversae eodem tempore evenisse dicuntur, *sub idem tempus* scribendum. *BC. B.* Alteram pronominis *idem* syllabam proximum *tempus* abstulit. Non temerariam esse coniecturam, probant quae paullo post leguntur: *Et regulo Gallorum absenti, et his populis responsum est,* etc. — ad aliud bellum] Cod. *ad aliud id bellum.* Pronomen *id* nescio quo casu illatum Grynaeus recte delevit. — passim rapinasque et incendia facta] Cod. *duces passim rapinasque.* Forsitan ex Livii more, de quo Drakenborch. ad Liv. II, 31, 1. velim conferas, scribendum: *caedes passim rapinasque et incendia facta.* Liv. II, 64. *quum caedes et incendia circum Anienem flumen fecissent.* Librarium ad praecedentia: *Duces sibi ab consule* etc. recurrisse, non probabile est.

Cap. VI. Hoc Lampsaceni] Recte Gronovius: „Scribe: *Hoc et Lampsaceni;*" quod Lallemandum secutus recepi. *BC. B.* — ne in regiam potestatem reciperentur] Hic quoque Gronovio auctore scripsi *reciderent,* quod librarius, quum *reciperentur* et *exciperentur* praecedant, in vulgatum corrupit. *BC. B.* — comiter responsum] Cod. *committere possum,* quod Grynaeus recte emendavit. — ac quae ipse ultro pollicitus sit] Cod. *et quae ipso ultro pollicitus sit.* Propterea *ac* in *et* mutavi. *B.* Vid. Handii Tursellin. Vol. I. p. 190. et Madvig. ad Cic. de Fin. I, 20. p. 126. Baumgarten-Crusius vulgatum retinuit.

Cap. VII. quum interrogati non infitiarentur] Cod. *cum infitiati non interrogarentur.* Mirum sane librarii errorem Grynaeus recte sustulit. — gnaviter] Cod. *nauiter,* quod in altera Livii editione praetuli. Vid. Schneideri Gramm. Lat. Part. I. Vol. II. p. 488. — quam se dedant Persi. Quod] Cod. *quam sine decedātur sic quod,* quae Grynaeus magis etiam corrupit. Ex depravata codicis scriptura restitui: *quam fide decedant; sic, quod* etc., ut *sic* ad praecedens *quemadmodum* referretur. *BC. B.* Neque est, quod dubites de certa huius loci emendatione. Etenim Livius etiam XXXI, 5. XXXIV, 11. et XLV, 19. *fide decedere* pro *fidem violare* dixit. — spoliataque sacrilegiis] Gronovius: „Corrige *spoliaque sacrilegii.*" Hoc Clericum secutus recepi. *BC. B.* Drakenborchius vulgatum frustra defendit. Erroris originem a proximis: *templa omnibus ornamentis compilata,* repetendam esse apparet. Nihilo secius tamen Weissenbornius Lectt. Liv. Part. II. p. 12. not. 8. vocabula haud raro a librario temere transposita esse praefatus: „Etiamsi, inquit, illa coniectura loco XXIX, 8, 9. quem miror a Gronovio non esse allatum, confirmari videatur, tamen leniore remedio adhibito nescio an rectius legatur: *templa -- spoliata, compilataque sacrilegiis;* cf. XXVI, 30, 9. XXVIII, 36. init." Adde XXXVIII, 43. *templa tota urbe spoliata ornamentis.* Quo minus autem hoc sequamur, quum *compilata sacrilegiis* substantive dici et ex Liv. XXIX, 8. per *sacrilegii manubias* explicari nequeant, impediunt verba, quae sequuntur: *C. Lucretium navibus Antium devexisse.* Illud tamen nolo dissimulare, me frustra quaesivisse locum, quo templa *ornamentis compilari* pro *ornamentis spoliari* dicantur. — quibus nihil neque dicere pensi, neque facere] Cod. *quibus nihil neque dicere pensi si neque facerem.* Recte igitur Sigonius: „Malim, inquit, *pensi sit,* ut lib. XLII, 23. *Id illi, cui nihil pensi sit, facile est.*" *BC. B.* Adde Liv. XXVI, 15. XXXIV, 31. et 49. Praeterea per eundem librarii errorem, verbo *sit* in *si* mutato, etiam XLV, 15. *quod si nihil aliud,* cap. 19. *quia aetate proximus si,* et *proxima parricidio si,* atque cap. 24. *si rodus in terris* in codice legitur.

Cap. VIII. sociis atque amicis] Cod. *ut sociasque amici.* Apparet igitur, Gronovium recte haec ita emendasse, ut *socii atque amici* scribendum esse censeret. *BC. B.* Idem iam Clericus recepit. Particula *ut,* quam in *suis,* quod Dukerus

desideravit, mutare nolim, a librario ex praecedentibus male repetita est. — conquirendos primo quoque tempore] Cod. *con primo quoque tempore*. Propterea non tam *conquirendos primo quoque tempore*, quod Grynaeus edidit, quam *primo quoque tempore conquirendos* scribendum esse putaverim. Librarius enim primum verba: *primo quoque tempore*, deinde, errore intellecto atque emendato, vocabulum *conquirendos*, quum *restituendosque* sequatur, omisisse videtur.

Cap. IX. dimisit] Hoc in codice pariter ac Frob. 1. et 2. legitur. Sigonius igitur, quum ab editore nescio quo in *divisit* esset corruptum, recte restituit. — praeerat] Cod. *praeerant miserunt*. Quod quid sibi velit, non intelligo. — inposita, quae Q. Maenius praetor] Cod. *inpositaq. imrecius praetor*, litera *i*, quae ante *mrecius* legitur, puncto superimposito inducta. Librarius enim *inpositaq.* repetiturus erat. Itaque non *Q. Maenius*, sed *M. Raecius*, qui praetor urbanus erat, scribendum esse, luce clarius apparet. *B*. Huc accedit, quod infra quoque cap. 11. pro *M. Raecio* in codice atque Frob. 1. et 2. *M. Recio* legitur, ubi vide quae Drakenborchius annotavit. Non igitur erat, cur Baumgarten-Crusius haesitaret. — tutarentur] Immo *tutaretur*, sc. Ap. Claudius eo missus, quod Perizonio et Crevierio placuit. *BC. B*.

Cap. X. finium plerumque Persei erat] Cod. *plerique*, quod Grynaeus recte emendavit. Crevierius enim in editione minore vulgatum bene explicat hunc in modum: „Hoc oppidum in finibus Macedoniae et Illyrici positum, modo huius, modo illius ditionis fuerat; sed, ut plurimum, Macedonicae.“ — pignus futuros furto et fraude agendae rei] Cod. *pignus futuros a foro et fraudem*. Vocabulum *fraudem* in enotanda codicis scriptura addere debebat Bekkerus, qui non solum paullo ante *venerunt* auctore Gronovio recte in *venerant* mutavit, sed etiam haec probabili coniectura, in quam ego quoque incidi, ductus ita emendavit, ut scriberet: *pignus futuros afore fraudem agendae rei*. Perperam enim Büttnerus Observatt. Liv. p. 78. vulgatum ita interpretatur: „Explica *pignus futuros non furto et fraude agendae rei*.“ Ceterum *a fore*, quod in Bekkeri editione pro *afore* legitur, typographi negligentiae tribuendum esse apparet. — sub iactu teli] Cod. *subiectu teli*. Similiter librarius XLII, 65. erravit. Recte enim Drakenborchius *sub ictu teli* scribendum esse demonstravit. *BC. B*.

Cap. XI. ex Sex. Digitio tribuno militum] Cod. *ex digitio sexto pr̄. milia*, Frob. 1. *ex Sexto Digitio Tr. militum*. Vide, quam bene Grynaeus haec correxerit. — ne quae maior ignominia acciperetur] Cod. *neque* pro *ne quae*, quod in *ne qua* mutandum esse Ant. Perizonius coniectura perspexit. *BC. B*. Doeringius vulgatum perquam ridicule explicat. — ante diem quintum Kalendas Septembres] Cod. *ad u. kal. sep.*, quod haud dubie ex *feb.* subortum est, Frob. 1. *ad V. Calend. Septemb.* „Sustuli, inquit Doeringius, in re aperta vitium, quod nullus adhuc Livii editorum,

quamquam iam Pighius in Annal. ad A. V. DLXXXIV. p. 572. pro *Septembres* legi iubebat *Februarias*, tollere sustinuit." Sic Doeringius se iactat Livii emendatorem. Verum enim vero iam Lallemandus, id quod ille ignorabat, hoc vitium recte sustulit. *BC. B.* — Sacerdotes] Cod. *in sacerdotes*, vocula *in* punctis superimpositis inducta; id quod Kopitarius, quum in codicis collatione praetermisisset, postea me docuit. Librarius enim, vocabulo *sacerdotes* omisso, *intra* scripturus erat. Falso igitur Laur. Theod. Gronovius auctorem nescio quem secutus codici *in sacerdotes* tribuit et, quum idem *mortuus est l. flaminius* offerat, locum lacunosum ita scribendum censuit: *Inter sacerdotes intra eum annum mortuus est L. Flaminius: pontifices duo decesserunt.* Haec probari non posse, nunc apparet. Ceterum Fr. et Iac. Gronovii auctore Sigonio rectius ediderunt *L. Flamininus* pro *L. Flaminius*, quod hic, ut XLI, 28. in Frob. 1. et 2. *T. Flaminii*, in codice atque Frob. 1. et 2. legitur. — Furii] Hoc nomen a Kopitario in codicis collatione omissum in ipso codice reperiri, ex scripturae specimine intelligitur, quod Catalogo codicum manuscriptorum bibliothecae Vindobonensis adiectum est.

Cap. XII. cerneret] Cod. *cernens*. De hoc librariorum errore admodum vulgari cf. Walther. ad Tacit. Annal. XIV, 7. — et sexcenti equites] Cod. *et ac equites*, literis *ac* hic quoque pro *DC* positis. Scripturae specimen *et xc. equites* exhibet, quod nescio an lithographus per errorem substituerit. Librarios quoque literas *a* et *x* saepe permutasse, satis constat. Vid. Fr. Gronovii Observatt. IV, 4. p. 554. et quae ad XLV, 40. annotavi. — Tribunos his] Cod. *tribunos is*, Frob. 1. et 2. *tribunos iis*, quod Bekkerus, quum in codice sexcenties *is* pro *iis* sit positum, recte revocavit. Paullo aliter hunc locum constituit Büttnerus Observatt. Liv. p. 102. sq. — sexdecim] Bekkerus hic *sedecim* scripsit, sed XLV, 35. a vulgato non discessit. — ex Italia* scribi iussi] Notam numeralem *a* sive *D* a nomine *Italia* interceptam esse ratus edidi: *ex Italia quingenti scribi iussi. BC.* Minus probabiliter Lallemandus *quingenti ex Italia scribi iussi* reponendum esse coniecit. — peditum quina millia, treceni et triceni equites] Cod. et Frob. 1. *peditum quina milia treceni et XXX equites.* Iam Lallemandus, quem secutus sum, ex Drakenborchii coniectura *peditum quina millia duceni et triceni equites* edidit. *BC. B.* Cf. quae supra leguntur: *Id modo finitum, ut duas legiones scriberet, quae quina milia peditum et ducenos haberent, equites trecenos*, quo verba: *Finitus ibi quoque in legiones militum numerus*, sunt referenda, et XLIV, 21. *Id praesidii additum Anicio, praeter duas legiones, quas portare in Macedoniam est iussus, quina milia peditum et ducenos habentes, trecenos equites.*

Cap. XIII. ea pro dignis habere] Recte Lallemandus Crevierio obsecutus *ea pro indignis habere* scripsit. *BC. B.* Similiter supra cap. 10. *frequentes* pro *infrequentes*, et infra cap. 18. *exsuperabilis* pro *inexsuperabiles*, XLIV, 6. *consultam*

pro *inconsultam*, cap. 27. *violato* pro *inviolato*, et XLV, 1. *certae* pro *incertae* in codice legitur. — et bovem feminam locutam publice ali] Haud scio an post *locutam* verbum *iussamque* sit inserendum. Vid. quae Dukerus annotavit. — adfulserat] Malim et ipse *effulserat*, quod Gronovio placuit. Nonnihil diversa est ratio loci Liv. XXI, 62. *et navium speciem de coelo adfulsisse*. — inpluvio] Gronovio obsecutus, addita, quae facile intercidit, vocula, *in impluvio* scripsi. *BC. B.* — et addiderunt, uti supplicatio fieret] Cod. *et ut diderunt uti suplicatio fieret*. Doeringius vulgatum ita defendit, ut ridiculo errore captus pronomen *quibus* non cum *diis* coniungeret, sed ad praecedens *hostiis* referret, atque verba: *et addiderunt* pro *etiam addiderunt*, sc. *quadraginta maioribus hostiis*, posita esse existimaret. Quo quidem nihil dici aut fingi potest ineptius. Gronovius, vir sanioris iudicii, locum haud dubie mendosum sic restituendum esse existimavit: *Publicorum prodigiorum causa libris decemviri aditis, quadraginta maioribus hostiis quibus diis consules sacrificarent, ediderunt, et, uti supplicatio fieret*, etc. Posteriorem Gronovii emendationem Baumgarten-Crusius et Bekkerus probaverunt, et ego quoque probavi; ita tamen, ut non *et uti*, sed *et ut supplicatio fieret*, scribendum esse censerem. Benedictus enim, ut *et uti* non admittendum esse doceret, in Observationibus ad quaedam Livii loca, Torgaviae a. 1808. editis, p. 5. annotavit, Livium in tali verborum coniunctione sive *et ut*, sive *utique* scribere solere, veluti XXXVII, 46. et VII, 42. His locis addas velim XXXVIII, 36. XLII, 2. et XLIV, 21. ubi *et ut* legitur. Si quis autem, quum librarius hic quoque ad remotiora aberrasse et, verbo *ediderunt* omisso, *et uti* scripturus *et ut* ita scripsisse videatur, ut cum illo verbo coalesceret, codicis auctoritati obsequendum esse statuerit, non praefracte repugnabo. — praeierunt] Dukerus suasit *praeceperunt*. Malim *praedixerunt*, id est *iusserunt*, quod ad codicis scripturam propius accedere videtur. Cf. Fabri ad Liv. XXI, 10, 3.

Cap. XIV. tribuni] Cod. *p̄r.*, quod scripturae compendium et *praetorem* et *praetores* significat. Hoc ipsum autem, quod in codice legitur, coll. cap. 11. et 15. restituendum esse, certissima sane coniectura perspexit Perizonius addens: „Scripta haud dubie fuit vox *praetores* per duas literas *pr.* unde librarii pro solita oscitantia, maxime quia sequebatur continue *plebis*, fecerunt *tr.* h. e. *tribuni*.“ Nunc apparet, oscitantiae vel potius, ne et ipse barbaro vocabulo utar, socordiae reprehensionem non in librarium cadere, sed in Grynaeum, qui vocabulo *plebis* in errorem inductus non vidit, quid in codice scriptum esset. Hoc sane miror: sed Bekkerum quoque, quum codicis scripturam a Kopitario recte enotatam invenisset, huic loco annotationem: „*praetores* Perizonius L *tribuni*,“ per inexcusabilem profecto imprudentiam subiecisse, satis mirari non possum. Veram lectionem iam Lallemandus, Doeringius, qui huius emendationis laudem sibi vindicavit, et Rupertius restituerunt; nos codicis auctoritatem addidimus. *BC. B.* — Id ita ut esse scirent] Cod. *id ut ita ut esse scirent*. Non diffiteor, librarium in utramque partem potuisse peccare. Praetuli

tamen, mutato verborum ordine, scribere: *Id ut ita esse scirent*, quod vulgato praestare videtur. *BC. B.* — magna patrum*] Sigonius supplevit *consensione*, vocabulum Ciceronianum. Malim Livianum *approbatione* addere ex XXIII, 23. *cum ingenti approbatione hominum.* — ad delectum prodito] Cod. *ad dilectum proditi.* Recte igitur Dukerus *prodibis* scribendum esse coniecit. *BC. B.* — quem hic censores magistratum habebunt] Cod. *quae hi.* Certam Gronovii emendationem: *quem his censoribus magistratus habebunt*, cum Crevierio, Lallemando et Rupertio recipere non dubitavi. *BC. B.* — in delectu prodibis] Cod. *in dilectu prouidebis.* Sigonius, Gronovio approbante, *in delectum*, quod recepi, scribendum censuit. *BC. B.* Vid. quae ad XLI, 8. annotavi.

Cap. XV. Ser. Cornelius Lentulus] Cod. *ser. g cornelius lentulus*, litera *g* puncto superimposito inducta. Quod quum Grynaeus non animadvertisset, non solum hic *Serg. Cornelius Lentulus*, sed etiam XLII, 37. ubi *p. et seruius corneli* in codice legitur, *P. et Sergius Cornelii Lentuli* edidit. Recte tamen iam Frob. 2. utroque loco, ut XLII, 44. XLIII, 11. et XLV, 17. ubi *serg.* in codice reperitur, nomini gentilitio *Serg.* sive *Sergius* praenomen *Ser.* sive *Servius* substituit. Praeterea vid. Drakenborch. ad Liv. V, 29, 2. — patiente] Gronovius recte scripsit *patiens*, quod iam Crevierius et Lallemandus, ne soloeca esset oratio, vulgato substituerunt. *B.* Idem Baumgarten-Crusius probavit, sed Heusingerum secutus pronomen *se* huic vocabulo subiecit. — consuli] Cod. *consul.* Hoc quoque Gronovio dedi, ut *consulis* scriberem. *BC. B.* — Septem e senatu eiecti sunt] Cod. *septem ense senatu electi sunt.* Haec misere sunt corrupta. Livium *ex senatu* scripsisse, non crediderim. — in provinciam cogebant] Erat, quum suspicabar, locum lacunosum ita esse restituendum: *in provinciam redire cogebant.* Supra quoque cap. 14. milites in Macedoniam scripti *in provinciam redire* iubentur. Doeringius verbum *redire* vult suppleri, quod fieri nequit.

Cap. XVI. nacti sunt] Cod. *nancti sunt*, quod Bekkerus hic quoque recte praetulit. — pignora] Cod. *pignera*, quod Bekkerus vulgato substituit. Vid. Schneideri Gramm. Lat. Part. II. Vol. I. p. 177. — Quae publica vectigalia, ultro tributa] Walchius Emendatt. Liv. p. 172. verissime: „Scribe, inquit, *publica vectigalia aut ultro tributa.* Quae antéa disiunctivâ prolata disiunctim ut dicerentur flagitabat rei ratio, ea nunc ἀσυνδέτως copulari quis patiatur?“ *BC. B.* His Büttnerus Observatt. Liv. p. 104. sq. frustra adversatus est. — de integro] Cod. *ad integro*, quod in *ab integro* mutavi. *BC. B.* Utrumque enim recte dicitur. — ad eius rogationem] Livium *ad legis rogationem* scripsisse suspicor. Similiter Iacobsius et Weissenbornius, ut supra memoravi, XLII, 29. *eius* in *regis* mutari voluerunt. — qui minus] Gronovius *qui* non in *quod*, ut Baumgarten-Crusius falso perhibet, sed in *quo* mutavit. Et recte quidem. Nam locorum a Drakenborchio ad Liv. XXVIII,

43, 18. allatorum diversa est ratio. Bekkerus igitur *quo minus* iure meritoque revocavit. — in ante dies octavum et septimum Kalendas Octobres] Cod. *in ante die uuı. et uu. kal. oct.* Dubites igitur, utrum *dies*, an *diem* scribas. Vid. quae ad XLV, 3. annotavi. — in atrium Libertatis adscenderunt] Cod. *in atrium libertates scenderunt*. Livium hic quoque *escenderunt* scripsisse, ex depravata codicis scriptura intelligitur. *BC. B.*

Cap. XVII. ut numerum colonorum augeret] Ex Gronovii emendatione scripsi: *ut numerus colonorum augeretur. BC. B.* Similiter Liv. XXXII, 2. ex cod. Bamb. atque Frob. 1. et 2. restitui: *ut colonorum numerus augeretur*, pro *cogeretur*, quod ferri non potest. — Argis] Ursinus coll. Polyb. XXVIII, 3, 10. et Liv. XXXV, 48. non *Argis*, sed *Aegii*, quod recepi, scribendum esse censuit. *BC.*

Cap. XVIII. subesset] Cod. *abisset.* Malim igitur *adesset*, id est *immineret* sive *instaret*. Liv. II, 29. *adest ingens seditio*, cap. 55. *apparebatque, omne discrimen adesse*, et III, 10. *ingens aderat certamen.* — a Romanis] Cod. *ab Romanis*, quod cur Grynaeus improbaverit, non video. *BC. B.* — Dardanos recens domuisset bello] Cod. *sed bellum.* Voculam *sed* ex praecedenti *domuisset* subnatam omisi, *bellum* pro *bello* reposui. *BC. B.* Tacitus quidem Hist. II, 10. scripsit: *recens censuerant patres, ut accusatorum causae noscerentur*; sed Livius ita non loquitur. Vid. Drakenborch. ad. Liv. II, 22, 4. Quemadmodum autem hoc loco *bellum Dardanos domuisse*, ita fere XXV, 38. *clamor in portis auditus et primus impetus castra capere*, et cap. 41. *primus clamor atque impetus rem decrevisse* dicitur. — levium armatorum] Immo *armorum*, quod iam Rupertius ex Gronovii emendatione recepit. *BC. B.* — nunc praefectorum praesidii] Cod. *si nunc praefectorum praesidi.* Particula *si* unde sit illata, non video. — pars scalas muris, ignem portis inferrent] Gronovius: „Suspicor, inquit, fuisse, *alii aliis succedentes scalas muris, pars ignem portis inferrent.*“ Malim equidem: *pars scalas muris, pars ignem portis inferrent.*

Cap. XIX. Ad Oaeneum perventum est] Cod. *aeideoaeneum*, literis *ei* inductis, ut *ad eoaeneum* legeretur. Et supra quoque *ad eoeneum* in codice reperitur. Dukerus non male coniecit: *Inde ad Oaeneum perventum est.* — Aputeum Macedonem a Beroea] Cod. *aputeum macedonem ab euroea.* Bekkerus in enotanda codicis scriptura omisit *macedonem*, quod in codice non desideratur. Ursinus et Valesius pro *Aputeum* ex Polyb. XXVIII, 8. recte *Adaeum* restituerunt. *BC. B.* Nam vocabulum *aput*, quod praecedit, ut librarius *aput eum* pro *adeum* sive *adaeum* scriberet, effecisse videtur.

Cap. XX. de industria] Cod. *per industria.* Cave tamen existimes, Livium Patavinum, quum Plaut. Cas. IV, 3, 6. *quasi ob industriam* legatur, insolentius *per industriam* scripsisse. Etenim vocula *per* ex iis, quae antecedunt, huc temere delata est. — qua una barbarus inops inpelli ad bellum poterat] Cod. *qua unda*

barbaros inops inpelli ad bellum non poterat. Negationem ab hoc loco alienam esse apparet.

Cap. XXI. quum in iis locis rex esset] Cod. *cum in is locis rex non esset.* Ab hoc quoque loco negatio aliena est. — ab his urbibus] Hic quoque *ab iis* scribere malim. — Phanotem] Cod. *phalanom.* Sed infra cap. 23. pro *ab obsidione Phanotis* in codice *absidione fanotes*, et XLV, 26. pro *Phanota* in eodem *panota* legitur. Crevierium secutus *Phanoten* scripsi. *BC.* Graecis enim *Φανότῃ* dicitur. Bekkerus *Phanotam* edidit, quod non minus probabile est, et ad codicis scripturam propius accedere videtur. — in Elimeam] Cod. *aelimeam*, omissa praepositione, quam iam Crevierio suspectam expunxi. *BC. B.* — Acheloum] Cod. *acaum*, sed infra cap. 22. *inachū*, id est *Inachum*, quod, quum hic vocabulum *amnem* primam huius nominis syllabam absorbuerit, utroque loco recepi. *B.* Baumgarten-Crusius: „Secutus essem, inquit, si scissem, codicem addicere." Is vero addicit. Ceterum hic Inachus, fluvius Acarnaniae, a cognomine Argolidis fluvio diversus, in sinum Ambracium effundebatur. Vid. Strab. VII, 6. et cf. Tzschuck. ad Pomp. Mel. II, 3, 9. Vol. III. Part. II. p. 305. Stratus igitur, quum eam Polybius, Strabo aliique non ad Inachum, sed ad Acheloum ponant, haud dubie inter utrumque amnem sita erat. —transgressus] Cod. atque Frob. 1. et 2. *transgressis.* Quod qui recte in *transgressus* mutaverit, Drakenborchius annotare neglexit. — quem Nicaeum vocant] Cod. *niceum quem uocant.* Hunc verborum ordinem Grynaeus servare debebat. *BC. B.* Qui primus *Niceum*, quod etiam Frob. 1. et 2. offerunt, in *Nicaeum* mutaverit, Drakenborchius annotare praetermisit. In ed. Amstelod. a. 1633. *Nicęum* legitur. — retentus altitudine amnis, mansit] Perizonius et Crevierius, quibus Lallemandus accessit, hoc loco vocabulum, ad quod proxima: *Quo spatio temporis* etc. referantur, inter *amnis* et *mansit* excidisse suspicati sunt. Et recte quidem. Utrum autem *diem* vel *biduum*, quae Perizonius suasit, an *diem unum* vel *triduum* verbis *amnis* et *mansit* interponendum sit, ad liquidum perduci non potest. Post *mansit*, quae Doeringii est opinio, vocabulum desideratum excidisse non crediderim.

Cap. XXII. Acheloum] Cod. *inachū*, id est *Inachum*, quod recepi. *B.* Bekkerus non satis accurate codici *in achu* tribuit. Kopitarius enim in codicis collatione *in achū* pro *inachū* scripserat. — et equitibus centum venit] Pro verbis *centum venit*, quae Grynaeus addidit, in codice reperitur nota ·*t*· pro *Titus* poni solita, quam librarius puncto superimposito induxit. — Aperantii eum] Cod. *aperianti aecum* vel *aperiantiae cum*, pro diversa scripturae continuae divisione. Quamquam alibi simplex *i* pro duplici in codice positum est, tamen in altera Livii editione *Aperanti* scripsi, quod, quum Graecis *Ἀπεραντοὶ* vocentur, iam Drakenborchio placuit. Vid. tamen Baehrium ad Plutarch. Flamin. cap. 15. p. 116.

Cap. XXIII. cum minore vexatione] Ex Drakenborchii sententia, in quam Heu-

singerus quoque discessit, negatione inserta: *cum non minore vexatione* edidi. *BC. B.* Haec enim ad ea referenda sunt, quae supra cap. 21. leguntur, ubi Perseus *cum ingenti vexatione* iter fecisse dicitur. Bekkerus hanc emendationem perperam tribuit Freinshemio, qui vocula *cum* in *non* mutata, *non minore vexatione* scribi voluit, quod a Gronovio et Crevierio receptum Lallemandus servavit. — Phanotis] Cod. *fanotes,* quod in *Phanotes* mutatum recepi. *BC. B.* — in campo, quem Elaeona vocant] Cod. *quem in campo meleona uocant,* pro quo *in campo, quem Meleona vocant,* reposui. *BC. B.* Locus enim non ab *oliveto,* quod Graecis ἐλαιών dicitur, sed, quum *pomarii* instar esset, a vocabulo μηλέα, *malus,* nomen duxisse videtur. — ibi ad mille occisis] Cod. *idem occisis,* cui Grynaeus, quum pro *praecipitant,* quod praecedit, *praecipitantibus* in codice legatur, illud ex coniectura admodum probabili substituit. Olim, nisi fallor, *ibi ad* ∞ *occisis* scriptum erat. — ubique prospere gesta re] Cod. *et ubique,* quod nescio an sit recipiendum. — Cassandriam] Cod. *cassandream,* quod praetuli. *BC. B.* — faceret****] Sustuli lacunae signa a Drakenborchio posita. *BC. B.* Nihil enim in extrema libri parte desiderari, ex tralatitia, quae in codice reperitur, subscriptione intelligitur.

LIB. XLIV.

Cap. I. quod in supplementum legionum secum traiecturus erat] Gronovius *quod supplementum*, Drakenborchius *quot in supplementum* scribi maluit. Nihil mutandum esse, in Annotatt. ad Liv. XXXIII, 14. p. 29. docui. Praeterea cf. Elspergeri Observationes ad aliquot Livii locos. Erlangae, 1827. p. 13. ubi agitur de Liv. XXXI, 8. *id praesidio Siciliae provinciae esset*. In scripturae specimine, quod Pertzius in commentariis: *Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtkunde*, Part. IV. p. 521. exhibuit, *traiectus* pro *traiecturus* legitur; id quod Kopitarius in codicis collatione praetermisit. — diei unius expedito itinere] Cod. *dies unius expedito iter est*, quod, *dies* in *diei* mutato, mediae orationi interpositum laetus lubensque recepi. *BC. B.* Sic Liv. IX, 9. *Tridui iter expeditis erat*, et XLV, 28. *id diei iter est*, quod et ipsum mediae orationi interponitur. Grynaeum codicis scripturae facili negotio emendandae lectionem: *dies unius expedito itinere*, quae nullo pacto potest admitti, temere substituisse, licet infra cap. 43. *via expedita*, et XLII, 55. *iter expeditum* legatur, satis mirari non possum. Ceterum qui primus *dies*, quod mendum in Frob. 2. repetitum, sed in huius editionis exemplo, quo utor, ab antiqua manu sublatum est, in *diei*, quod iam in ed. Amstelod. a. 1633. reperitur, recte mutaverit, Drakenborchius annotare neglexit. — ad cunctam] Cod. *adiunctam*. Perizonio *cuncta militaris disciplina* pro omni genere disciplinae militaris positum videtur. Audio. Nihilo minus tamen Livium *ad iustam militarem disciplinam*, quae *effusae licentiae* opponitur, scripsisse suspicor. Similiter Liv. XXIV, 48. *ordinata disciplina* et *iusta militaria* dicuntur.

Cap. II. extemplo] Hoc vocabulum in utraque Crevierii editione omissum Lallemandus non restituit. — pergere inde] Cod. *inde peregre inde*. Itaque dubites, utrum vulgatum retinendum, an *inde pergere* scribendum sit. Hoc praetulerim propterea, quod verba *in Macedoniam*, quae sequuntur, facile efficere potuerunt, ut librarius vocabulum *inde* repeteret.

Cap. III. Octolophum] Cod. *octtolobum*, litera c puncto superimposito inducta, Frob. 1. et 2. *Octolopum*, cui Gelenius XXXI, 36. et 40. *Octolophum* substituit. Nos certa coniectura ducti, quum Heusingero quoque idem placuisset, in altera Livii editione ubique *Ortholophum* scribere non dubitavimus; praesertim quum

Livius ipse graecum nomen Ὀρθόλοφος cap. 4. explicaverit per: *iugum montis in angustum dorsum cuneatum*. Praeterea cf. Liv. XXXVII, 27. ubi de Myonneso promontorio haec leguntur: *Ipse collis est in modum metae in acutum cacumen a fundo satis lato fastigatus*. — Q. Marcius] Frob. 2. *et Q. Marcius*, quod haud scio an sit revocandum. — turrim Eudieru] Cod. *fuerimque dierum*, in quibus aliud loci nomen latere suspicor. Quid quaeris? Sive retinendum est illud ipsum *Dierum*, quod librarius posuit, sive potius graeca terminatione, quam Livius etiam infra cap. 6. et XXXVI, 15. in nominibus *Condylon* et *Callidromon* servavit, scribendum *Dieron*, Διερόν, id est *humidum* vel *madidum*, omisso vocabulo *fuerimque*, cuius origo in extrema parte verbi *posuerint*, quod praecedit, a librario, ut fieri solet, male repetita et, copula adiecta, cum antecedentibus coniuncta, quaerenda videtur. Vocabulum διερός, id quod Henr. Stephanus Thes. Gr. Lingu. Part. XII. p. 3377. ed. Lond. me docuit, hoc significatu reperitur apud Theophrast. de Caus. Plant. III, 23. διερὰν γὰρ οὖσαν καὶ βαρεῖαν τὴν γῆν ἀτμιδώδη γίνεσθαι, ubi auctores Geoponicorum III, 1. pro διερὰν perperam ἀραιὰν legisse, Schneiderus annotavit. Ceterum Bekkerus falso perhibet, Grynaeum *turrimque* edidisse. Nam in Frob. 1. et 2. *turrim* legitur.

Cap. IV. conserere] Alibi Livius *manum* vel *manus* addere solet. Vid. Fabri ad Liv. XXI, 39, 3. Propterea hic quoque vocabulum *manum* a praecedenti *armatura* interceptum excidisse, Crevierius et Dukerus suspicati sunt. Hos ut sequar, inclinat animus. — atque etiam periculo; sed cedenti ex superioribus locis instare hostis poterat] Cod. *secedente* et *locis stare*. Gronovius et Muretus hunc locum ita constituerunt: *atque etiam periculo, si cedenti ex superioribus locis instaret hostis, poterat*. Hos secutus sum. *BC. B.* — nec auxit copias] Kopitarius verbum *auxit* in codicis collatione omiserat, itemque paullo post *repurgaret* pro *repurgarent* codici perperam tribuerat.

Cap. V. transversi incumbentes tigni] Cod. *transuerso incumbente tigno*, non *ligno*, quod Bekkerus, quum Kopitarium in codicis collatione errasse ignoraret, codici tribuit. Itaque non erat, cur Grynaeus iusto longius a codicis scriptura discederet atque horum verborum sententiam perverteret; praesertim quum *tignus* pro *tignum* nusquam reperiatur, et Livius ipse XXXIV, 39. *ambusta tigna* dixerit. Totus enim locus, una tantum literula adiecta et vocabulo *asseres* subaudito, scribendus atque distinguendus est hunc in modum: *In eos, transverso incumbentes tigno, ad tricenos longi pedes, ut pons esset, iniungebantur: humusque insuper iniiciebatur. BC.* Bekkerus autem ne literulam quidem illam a Grynaeo recte, ut opinor, adiectam retinuit, sed *incumbente* edidit. Utrum placet, sumite. Mihi tamen *asseres ad tricenos longi pedes tigno transverso incumbere* rectius dici videntur, quam *tignum transversum duobus validis asseribus in terra defixis incumbere*. Illi

enim asseres, ut pontis instar essent, in longitudinem porrecti duobus asseribus in terra defixis ita iniungebantur, ut tigno transverso his superimposito inniterentur. — elephas] Cod. *elephans*, quod etiam Hirt. Bell. Afr. cap. 72. et 84. codices pro *elephantus* offerunt. Quod quum alibi constanter apud Livium legatur, hic quoque reposui. *BC. B.* Vid. Drakenborch. ad Liv. XXXI, 36, 4. et quae infra ad cap. 41. annotavi. Ceterum cf. Liv. XXI, 28. *Ratem unam — pontis in modum humo iniecta constraverunt, ut belluae audacter velut per solum ingrederentur*, ubi Bauerus *per solidum* scribere maluit. — usque alterius initium pontis] Malim *usque ad alterius initium pontis* scribere, addita praepositione, quam a Livio omissam esse non crēdiderim. Similiter XLV, 15. *altero laeuata ignominia* pro *ab altero levata ignominia* in codice legitur. — septem millia die] Gronovius *eo die* scribendum esse suspicatus est, pro quo *illo die* reponendum videtur. Etenim pronomen *illo*, quum *paulo plus ·uii· die* in codice legatur, facilius quam *eo* intercidere potuit. — septus undique] Cod. *saeptus undique*, quod praestat. Cf. quae infra ad cap. 39. diximus. Bekkerus suam coniecturam secutus *septis undique* scripsit. Hoc Weissenbornius Lectt. Liv. Part. II. p. 2. not. 1. recte improbavit addens: „Nam id ipsum, quod locus undique saeptus erat, quo minus circumspicere possent, Romanos prohibuit. Neque hoc uno loco Livius ita est locutus; cf. XXV, 16, 18. *in valle silva ac montibus saepta*; add. II, 11. XXIV, 21. XXV, 11. all.“ — nactis] Cod. *nanctis*, quod Bekkerus hic quoque recte praetulit. — ii vallem, campi quoque partem] Cod. *ibi ualle campi quoque parte.* Hoc ita secutus sum, ut, quum *vallis* mentio ab hoc loco sit aliena, scriberem: *Ibi vallo campi quoque partem, ubi eques tenderet, amplectebantur. BC. B.*

Cap. VI. proripuit] Immo *se proripuit*, ut alibi sexcenties. Pronomen *se* a vocabulo *clamitans* interceptum est. Vulgatum Obstius ita explicat: „Supplendum est *se*, quod omissum est quia statim ad *victum* antecessit.“ Sed illud *se* huc referri non potest. — per alia atque alia] Cod. *per alia quae*, quod, leniore medela adhibita, in *per alia aliaque* mutavi. *BC. B.* Utrumque recte dici constat: illud tamen apud Livium frequentius reperitur, hoc nusquam. — duobus ex amicis Pellam, alterum Asclepiodotum, ubi pecunia deposita erat, ex praesidiis revocat] Cod. *duos ex amicis pellam alterum usque ad pathum pecunia deposita erat* etc. Audaciorem in loco desperato coniecturam secutus atque vitii originem potissimum in vocabulo *alterum* bis posito quaerendam esse ratus edidi: *duos ex amicis, Pellam alterum, ubi pecunia deposita erat, alterum usque ad Parthum, ex praesidiis revocat.* De Partho, urbe Illyrici vel Macedoniae, vid. Tzschuck. ad Pomp. Mel. II, 3, 11. Vol. III. Part. II. p. 340. sq. Haec Baumgarten-Crusius, cui *duos ex amicis* pro *duobus ex amicis* scripturo operae non paruerunt, ita probavit, ut de verbis: *usque ad Parthum*, incertus haereret. Weissenbornius autem Lectt. Liv. Part. I. p. 25. quum Illyrios a loco Liv. XLIV, 26. perquam alienos esse, contra me mo-

nuisset, not. 10. haec subiecit: „Non felicius infert Illyriae oppidum *Parthum* lib. XLIV, 6, 2. nam cap. 10. declarat, alterum amicum Thessalonicam esse missum, non Parthum, ubi quid ei fuerit faciendum, nemo facile dixerit, et quod h. l. amicos cap. 2. commemoratos e praesidiis revocatos esse, haud dubie scriptum erat." Quae si vera sunt, ut esse videntur, satius erit, id quod Bekkerus fecit, depravatam codicis scripturam: *alterum usque ad pathum*, in orationis contextu reponere. Sed cur idem verbis: *pecunia deposita erat* lacunae signa subiecerit, me non intelligere fateor. — raptim] Cod. *rapti*, quod mutavi in *raptis*, id est *raptim ablatis*. *BC. B*. Sic Liv. II, 47. *rapto consulis corpore* legitur. — in classem congestis, ocius demigrare Pydnam cogit] Cod. *in classe iusto ci demigrasse pydnam cogit*. Quum Grynaeum, ex cuius emendatione verbum *demigrare* non habet, quo referatur, ausis excidisse, nemo sit infitias iturus, totum locum mire depravatum aliquanto confidentius ita correxi, ut scriberem: *Ipse, ab Dio auratis statuis omnibus raptis, ne praeda hosti essent, incolas eius loci demigrare Pydnam cogit*. *BC. B*. Bekkerus tamen *demigrasse* retinuit: quod quomodo tueatur, ipse viderit. Rem conficit locus Diodor. Sic. in Excerpt. Vales. p. 310. Tom. II. p. 579. ed. Wesseling. ubi de Perseo rege haec leguntur: Ὁ αὐτὸς τοὺς χρυσοῦς ἀνδριάντας ἀνασπάσας ἐκ Δίου, πάντας τοὺς ἐκ τῆς πόλεως ἀναλαβὼν μετὰ τέκνων καὶ γυναικῶν ἀνεχώρησεν εἰς Πύδναν, quae cum Livii narratione ad verbum paene congruunt. Ceterum infra quoque cap. 13. Livius scripsit: *Primus adventus hostium perculit incolas loci*, ubi itidem vocabulum *locus*, ut graecum τόπος nostrumque *Ort*, pro *urbe* ponitur. Vid. Annotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 105. sq. ibique adde Horat. Sat. I, 5, 92. *Qui locus a magno Diomede est conditus olim*. — praesidiis regis] Gronovius maluit *regiis*, quod admisi. *BC. B*. Haec vocabula a librario saepissime permutantur, veluti supra hoc ipso capite, ubi *que utraque regis tenebantur praesidiis* in codice legitur, et infra cap. 35. ubi itidem *regis* in *regiis* mutavi. — alterum Condylon] Eodem Gronovio auctore *ad Condylon* scripsi. *BC. B*. — quod ut furto fefellerant] Ne quis contra latinam consuetudinem, id quod Crevierius et Rupertius fecerunt, pronomen *quod*, cum verbis *non poterant* ad *montes repetere* referendum, cum *fefellerant*, quod hic quoque absolute ponitur, perperam coniungat, in posterum cavebitur, si cum Drakenborchio ad Liv. XLI, 2, 2. hunc locum ita interpunxeris: *Quod, ut furto fefellerant, ita propalam, tenentibus superiora cacumina hostibus, non poterant*. Idem Doeringio placuit, qui, ut Crevierio recte adversatus est, ita dubius haesit in verborum coniunctione expedienda. — quod, nisi dii mentem regi ademissent, ipsum ingentis difficultatis erat] Addita, quae facile intercidit, vocula, *et ipsum* esse scribendum, Büttnerus Observatt. Liv. p. 105. sq. recte censuit. *BC. B*. Cetera Grynaeus, quum *nisi dimouentem regiam demissent* in codice legatur, egregie emendavit. Liv. IX, 9. *Dii immortales et vestris et hostium imperatoribus mentem ademerunt*. Similiter Homerus Iliad. XVII, 469. sq. τίς τοί νυ θεῶν

νηκερδέα βουλὴν ἐν στήθεσσιν ἔθηκε, καὶ ἐξέλετο φρένας ἐσθλάς; — Olympi radices montis] Pro eo, transpositis vocabulis, *Olympi montis radices* scribere malim. Sic infra cap. 8. legitur: *Fluit ex valle Olympi montis,* et cap. 13. *Sita est in radicibus Ossae montis.*

Cap. VII. et spei] Cod. *per specie,* cui Grynaeus illud recte substituisse videtur. — segnitie] Cod. *segnitia,* quod Bekkerus codicis auctoritati obsecutus recte praetulit. Vid. Drakenborch. ad Liv. XXXI. 6, 5. ubi in cod. Bamb. aliisque *segnitiam* pro *segnitiem* legitur, et Schneideri Gramm. Lat. Part. II. Vol. I. p. 483. sq. — paratam frumenti copiam fore] Cod. *imperia frumenti copiam ferre.* Haud cunctanter vulgatum ita emendavi, ut *in Pieria* scriberem. *BC. B.* Idem nomen infra cap. 8. restitui, et cap. 9. Grynaeus ipse pro *imperiam,* quod in codice legitur, *in Pieriam* reposuit. Eodem fere modo Liv. XXXIX, 26. librarii in hoc nomine peccarunt. — Agassam urbem] Cod. *acassam urbem.* Scribe *Agassas,* quod XLV, 27. bis legitur. *BC.* Bekkerus vulgatum perperam retinuit. Nam vocabulum *urbem,* quod sequitur, librarium in errorem induxit. — tradentibus sese ipsis] Ernestius edidit: *tradentibus se ipsis,* quod in alias Livii editiones propagatum est. — relinquere se eis urbem] Cod. *relinqueres eis urbem,* ita quidem, ut *relinqueres* in extremo versu legatur. Dubites igitur, quum vel altera pronominis *se* litera a proxime *eis* intercepta, vel *is* hic quoque pro *iis* positum sit, utrum *eis,* an *iis* sit scribendum. Vid. quae ad XLI, 6. annotavi. — contractis] Cod. *peractis.* Nomen *Perseus,* quod praecedit, librarium in errorem induxit. — Philan] Cod. *pilan.* Nihilo secius tamen, quum supra cap. 3. et XLII, 67. *pilam* et *philam* in codice reperiatur, auctore Sigonio *Philam* scripsi. *BC.*

Cap. VIII. Philan] Hic quoque vel adversante codice, ex quo Kopitarius nihil enotavit, eandem huius nominis formam a Bekkero utroque loco improbatam restitui. *BC.* — imperatori] Cod. *imperia,* pro *in Pieria,* ut supra ad cap. 7. dixi. *BC. B.* Ita Crevierio et Dukero, qui vocabulum *imperatori* plane otiosum esse iudicarunt, satisfactum est. — ut qui, obferentibus sese rebus] Cod. *ut opperientibus sese rebus,* quod certa, opinor, emendatione in *ultro offerentibus sese rebus* mutavi. *BC. B.* Liv. XXXII, 21. *Nolite, si, quod omnibus votis petendum erat, ultro offertur, fastidire.* — omisisset e manibus] Cod. *omisisse de manibus.* Dukeri coniecturam et codicis auctoritatem secutus *emisisse de manibus* scripsi. *BC. B.* Similiter Liv. XXXII, 9. pro *misso e manibus hoste* ex cod. Bamb. *emisso e manibus hoste* restitui. Totum autem locum, ut interpuncta verborum in maiore Livii editione, quam Bekkerus temere secutus est, posita corrigerem, in minore Baumgarten-Crusio obsecutus ita scripsi: *Nam alii, metu recessisse eum ab hoste, ferebant, quia manenti in Pieria proelio dimicandum foret: alii, ignarum, belli quae in dies fortuna novaret, ultro offerentibus sese rebus, emisisse de manibus ea, quae mox repeti non*

possent. — nunc tandem] Cod. atque Frob. 1. et 2. *tunc tandem,* quod revocavi. *BC. B.* Qua auctoritate Drakenborchius *tunc* in *nunc* mutaverit, ex eius annotationibus non intelligitur. Typographum errasse suspicor. Ruddimannus quoque, qui Drakenborchium plerumque sequitur, recte *tunc tandem* edidit. — prius culpa] Nescio an *prius ipsius culpa* sit scribendum. Displicet *culpa* simpliciter positum. — gurgitibus] Hoc Gronovius recte in *gurgites* mutavit. *BC. B.* — et intra porupta, in mare evolvendo terram] Ex eiusdem Gronovii emendatione scripsi: *et infra, prorutam in mare evolvendo terram. BC. B.* Contrario librarii errore XLII, 15. *derupta* in *diruta* mutatum est. — Perseus septum] Cod. *hospes et septum.* Mira sane scriptura, in qua quid lateat, exputare non possum. Num librario *Perses* pro *Perseus* scripturo proximum *hostis* obversabatur?

Cap. IX. ex regis castris] Bekkerus *ex regiis castris* edidit. — nec] Cod. *nae.* Vulgato *nec,* quod ferri non potest, *nam* substitui. *BC. B.* Neque tamen *ac* spreverim. Quum enim pro *conquirere genera* codex *conquirere nera* offerat, librarium ita peccasse, ut *n* literam ex antecedentibus repeteret et *ac* in *ae* mutaret, a vero non abhorrere videtur. Cf. quae Drakenborchius ad h. l. annotavit. — adparitoribus ludi] Cod. et Frob. 1. *apparitoribus ludi,* cui ed. Lugd. a. 1553. *ab apparitoribus ludi* substituit. Utrumque valeat. Etenim *apparatioribus ludis* scribendum esse, Muretus perspexit. *BC. B.* Lallemandus quoque et Rupertius receperunt. Salmasius autem, id quod Dukerus annotavit, ad Lamprid. Alex. Sev. cap. 53. non *apparatioribus,* ut Baumgarten-Crusius perhibet, sed *ab apparatoribus* ex h. l. protulit, quod vocabulum apud veteres scriptores non reperitur. — elegantioris exercitii] Cod. *elegantioris exercitus.* Nunc apparet, vocabulum *exercitus* a librario ex praecedentibus esse repetitum. Missis igitur Gronovii et Perizonii coniecturis, scribe: *ex parte elegantioris, quam militaris artis. BC. B.* — testudinem faciebant] Cf. quae Cortius et Kritzius ad Sallust. Iug. cap. 94. Orellius ad Tacit. Annal. XII, 35. atque interpretes ad Virgil. Aen. II, 441. et Sil. Ital. I, 365. annotarunt. Nobis tamen *testudinem facere,* quod Livius aliquoties usurpavit, et *testudinem agere,* quod apud Livium nusquam legitur, ita differre videntur, ut illud de συνασπισμῷ, quem vocant, hoc de machina bellica muro admota dicatur. Sic Latini etiam *vineas agere* dixerunt; *facere* non item. — Huic testudini simillima parti muri admota] Cod. *huic testudo simillime parti muri permota.* Propterea vulgato in altera Livii editione substitui: *Huic testudo simillima humillimae parti muri admota,* et maximam his verbis subieci interpunctionem. Nec poenitet fecisse. Primum enim displicet, testudinem non *muro,* sed *parti muri* admotam dici: deinde, quum supra haec legantur: *Iuvenes etiam quidam Romani, ludicro circensi ad usum belli verso, partem humillimam muri ceperunt,* perquam probabile est, vocabulum *simillima* geminum *humillimae* absorbuisse; praesertim quum *simillime* in codice reperiatur. Quo minus autem, vocabulo *simillime* in *humillimae* mutato, scribamus: *Haec testudo*

humillimae parti muri admoto, illud impedit, quod sequitur: *Id tantum dissimile fuit, quod* etc. — praetecta] Ex Lipsii emendatione, etiam Dukero probata, cum Lallemando et Rupertio *praetenta* scripsi. *BC. B.* — promovit; tamquam] Cod. *pervictam quam*. Quid in his lateat, alii viderint. — diversari] Cod. *deuersari*, quod praetuli. *BC. B.*

Cap. X. a pavore] Cod. et Frob. 1. *pauore*, omissa praepositione, quam Sigonius addidit. Recte quidem. In altera tamen Livii editione Drakenborchium secutus *e pavore* scripsi, quum *e* facilius, quam *a*, ab vocabulo *tandē*, id est *tandem*, potuerit absorberi. — poenitentiae relinquens locum] Wopkensius coll. Liv. XXIV, 26. *quod adeo festinatum ad supplicium, neque locus poenitendi aut regressus ab ira relictus esset*, hic quoque *poenitendi* scribendum esse, Actt. litt. soc. Rheno-Traiect. Tom. II. p. 93. temere suspicatus est. Utrumque enim recte dicitur. — nactus] Cod. *natum*, quod Bekkerus in *nanctus* mutare non sustinuit. — in rem emendabilem] Gronovium recte *in errorem emendabilem* scribendum censuisse, non est, quod dubites. *BC. B.* Sic infra cap. 22. *mores* pro *rumores* in codice legitur, et similiter XXXIII, 31. olim ex cod. Mog. editum *res* pro *vires*, quod postea in cod. Bamb. repertum est. — Aeniam] Auctore Drakenborchio hic et infra cap. 31. *Aeneam* scripsi. *BC. B.* — adiuvere et, qui in navibus erant] Cod. *atiuae qui*. Grynaeus *adiuvere* recte restituit: sed voculam *et* delendam esse, ex codicis scriptura intelligitur. *BC. B.*

Cap. XI. in altum magnitudine] Cod. *in altus magnitudine*. Drakenborchius haec verba eliminanda censuit, et Bekkerus, ut spuria, uncis inclusit, servata tamen lectione *altus*. Nos in alia omnia discessimus. Librarius enim, quum *in altum* praecedat, eo facilius ita peccare potuit, ut illa poneret pro *inclitus magnitudine*, quod meo periculo recepi. *BC.* Alibi tamen, ne quid dissimulem, librarius *inclutus* et *inclytus* scripsit. De nomine *Atho* vid. Schneideri Gramm. Lat. Part. II. Vol. I. p. 77. et de inclita huius montis altitudine cf. Tzschuck. ad Pomp. Mel. II, 2, 10. Vol. III. Part. II. p. 144. — Divisis partibus obpugnare adorti] Ut *divisis* in *diversis* mutarem, quae sequuntur, non tam postulare, quam flagitare videbantur. *BC. B.* — quod si, qui inrupere, armati fuissent] Cod. *quod si qui inrupere inarmati fuissent*. Perizonius recte coniecit, *qui irrumperent* esse scribendum. *BC. B.* Atque huic coniecturae, nisi forte librarius alterum *in* ex praecedenti *inrupere* repetierit, codicis scriptura favere videtur. Bekkerus Heusingerum secutus haec verba ita interpunxit: *quodsi, qui irrumperent armati, fuissent*, id est *praesto fuissent*.

Cap. XII. Pytho] Cod. *phyto*, quod Bekkerus recepit. — deprehensi erant] Cod. et Frob. 1. *deprensi erant*, quod restitui. *BC. B.* Iam Drakenborchius, si per operas licuisset, hoc revocaturus erat. Vid. quae ad XLV, 31. annotavi.

Cap. XIII. ex necopinato pavore] Cod. *necopinato pauore*, omisso *ex*, quod Grynaeus recte addidit. Hic enim *deinde*, ut supra cap. 10. *tandem*, praepositionem *e* absorbuisse non crediderim. — confiderunt] Hoc in Liviana oratione ferri non posse apparet. Quid igitur, si *confidunt* scribatur? Paullo ante pro *nec tum moenia modo*, quod Grynaeus edidit, *noctem uenia modo* in codice legitur. — Oreum Boeotiae] Cod. *oreum boetiae*, idemque in Frob. 1. et 2. legitur. Ex Gronovii emendatione, etiam Dukero probata, *Oreum Euboeae* scripsi. *BC. B.* „Facile enim, ut ait Drakenborchius, ex *Oreū Euboeae* fieri potuit *Oreū Boetiae*."

Cap. XIV. Pamphyli] Cod. *pampyli*, quod, ut Livius sibi constaret, in *Pamphylii* mutavi. *BC.* Ita librarius sexcenties peccavit. — posse uti] Cod. *possent*. Gronovius suasit *uti ponerent*, quod ita recepi, ut vocabulum *uti* omitterem. *BC. B.* Librarius ad verba: *si possent inducere in animum*, quae praecedunt, recurrisse videtur. — commemoratis erga populum Romanum beneficiis] Grynaeus addidit vocabulum *beneficiis*, quod propter sequentia: *et paene victoriae*, quae et literarum et sonorum similitudine ad illud proxime accedunt, a librario facile potuit omitti. Weissenbornius contra Lectt. Liv. Part. I. p. 18. post *commemoratis* vocabulum *meritis* excidisse suspicatus est. Atque sic ipsi Rhodii XLII, 46. commemorant veterem cum Romanis amicitiam, *multis magnisque meritis pace belloque partam*. Res igitur in medio erit relinquenda. Vid. Annotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 32. — mari intercluso, inopia insulam premi, amissis maritimis vectigalibus atque commeatibus] Cod. *mari interim incluso inopiam insulam inopem miss.... ritimis iuu.... colendi itaque commeatibus*. Depravata corrigat et lacunosa expleat, cui libitum est. Weissenbornius Lectt. Liv. Part. I. p. 28. not. 13. priora coll. Liv. XLV, 25. et Cic. Off. III, 12. ita emendat: *mari enim intercluso inopiam pati insulam sterilem*; de ceteris et ipse desperat. Nos *inopiam* delendum, sed *inopem* retinendum censemus. Sic Livius supra cap. 4. *iugum inops* et V, 42. *inopem parvumque collem* commemoravit.

Cap. XV. literasque extemplo ad utramque gentem * scirent indicatum mitti] Cod. *gentem sciret*, quod recepi, sublato lacunae signo. *BC.* Nam in loco nondum persanato, nec satis explicato, ne tantillum quidem a codicis scriptura discedere satius visum est. Bekkerus vulgatum retinuit, omissa tamen lacunae nota. — huius belli] Cod. et Frob. 1. *eius belli*, quod Bekkerus recte restituit. Drakenborchius quoque vulgatum, quod in ed. Bas. a. 1554. primum comparuit, improbasse videtur. — nuncio] Cod. et Frob. 1. *nuntio*. Ex Perizonii coniectura, etiam Büttnero Observatt. Liv. p. 107. et Iacobsio, quem in hoc loco refingendo usque quaque secutus sum, in Notis in Livii Lib. XXXIII. p. 393. probata, *nunc* scripsi. *BC. B.* Iacobsio *nunc in* in *nuncio* depravatum esse videtur. Rectius tamen Drakenborchius ultimas literas voci *nuncio* ex sequentibus, *ī orbe* sive *in orbe*, accrevisse existi-

mavit. Quo facto librarii praepositionem *in*, quae desiderabatur, rursus addiderunt. — Deorum nutu] Hic non Perizonium, qui *eorum nutu* a Büttnero approbatum suasit, sed Crevierium, cui Iacobsius pariter ac Benedictus Observatt. Liv. p. 6. sq. astipulatur, secutus *Rhodiorum nutu* edidi. *BC. B.* Quippe primam nominis *rodiorum*, ut alibi in codice scribitur, syllabam a verbo *agere*, quod praecedit, interceptam esse apparet. Ceterum interrogandi notas auctore Baumgarten-Crusio in minore Livii editione verbis *agere*, *Romanos esse*, et *Rhodios habituros* appositas nunc deleverim. — Itane tandem iis pareatur] Cod. *itane tandem is pareatur is*. Hunc in modum Bekkerus enotare debebat codicis scripturam, ex qua voculam *is* a librario bis positam esse intelligitur. Propterea, pronomine *iis* post *pareatur* inserto, ceteroquin Crevierio obsecutus, mutata verborum interpunctione scripsi: *Itane tandem? Ni pareatur iis, exercitusque de Macedonia deportentur, visuros esse, quid sibi faciendum sit? BC. B.* Librarius enim, particula *ni* propter praecedens *tandem* omissa, pronomen *iis*, quod Benedictus Observatt. Liv. p. 7. et Heusingerus voculae *ni* subiecerunt, in *is* mutatum primum verbo *pareatur* male praeposuit, deinde, errore intellecto, recte postposuit. Paullo aliter *ni* obliteratum est infra cap. 19. ubi pro *nuntiare*, *ni* in codice *nuntiarent* legitur.

Cap. XVI. commeatus a praetore prospectos in hiemem habere] Weissenbornius Lectt. Liv. Part. II. p. 11. not. 7. Sigonio, qui pro *remp.* sive *rempublicam*, quorum illud in Frob. 1. hoc in Frob. 2. legitur, *a praetore* restituendum censuit, recte adversatus: „Misere, inquit, laceratum locum codex exhibet, in quo haec leguntur: *rem* [immo *remp.*] *prospectos*; quae quomodo emendanda sint haud facile dixeris. Tentabam: *redemptos, prospectos*; ut duplex commeatuum genus discerneretur. Sed dubito et mihi ipsi diffido.“ Nobis librarius primis vocabuli *prospectos* literis in errorem inductus *remp.* in extremo versu posuisse, nec, ut par erat, delevisse videtur. Ergo hoc vocabulum non in aliud mutandum, sed eliminandum censemus. — sex millia togarum] Cod. *uitocarum*, quod pro $\overline{VI}$ *togarum* positum esse apparet. Vid. quae ad XLII, 36. annotavi. — quotidie bis in die] Cod. *cotidie bis in die*. Emendatione uti facillima, ita, ut opinabar, certissima reponendum censui: *quotidie bis indicem foederis icti cum Romanis perlegendi. BC.* Quippe certum habebam, vocabulum *indicē*, id est *indicem*, a librario nescio quo male divulsum atque in *in die* mutatum esse. Weissenbornius contra in Observationibus Livianis, quae Max. Fuhrii et Fr. Zimmermanni commentariis: *Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft* a. 1841. Nr. 103. et 104. inclusae sunt, Livii verbis p. 859. haec subiecit: „Quo loco cum Dukerus alterutrum, vel *quotidie*, vel *in die*, abesse posse censuisset, Drakenborchius *quotidie* delendum, et *in diem* scribendum statuit. Sed ut de *κακοφωνίᾳ* taceam, quae ex hac coniectura repetito verbo *diem* oritur, facilius *die* a librario ad antecedentem vocem *quotidie* recurrente scribi potuisse quispiam suspicetur. Qui error quamvis facilis fuerit, tamen num h. l. sit commissus, vehementer

dubito. Nam et apte dicitur *in die* (cf. Hand. Tursell. III. p. 281. sq. [ubi add. Tibull. I, 3, 31.]), et cum vi quadam et gradatione a Livio adiicitur, qui non solum quotidie, sed his in singulis diebus foedus perlegisse Philippum tradere voluit. Omitti autem ubi oratio per gradationem ascendit copulativam particulam multi docuerunt. Vid. Drakenb. ad I, 59, 1. Zumpt. ad Cic. Verr. p. 984. Klotz. Quaest. Tull. p. 46. Itaque si apta in codicis scriptura inest sententia, quamvis ingeniosa et facili coniectura Kreyssigii qui in epistola ad Goellerum data p. 485. sqq. *quotidie indicem foederis* Livium scripsisse suspicatus est, possumus carere. Neque cur foederis non sane ampli (cf. Liv. XXXIII, 30.) index sit confectus, intelligitur." His adde quae leguntur in Naegelsbachii libro: *Lateinische Stilistik für Deutsche. Nürnberg, 1846.* p. 173. „*Als eine Merkwürdigkeit für täglich zweimal ist anzuführen* Liv. 44, 16: *quotidie bis in die* foedus ictum cum Romanis perlegere; *denn die Lesart scheint wohl begründet: alle Tage und zwar täglich zweimal.*" Quae quum ita sint, nos quoque, ut Bekkerus, in vulgata lectione acquiescamus. — transfugit: magno] De Drakenborchii sententia, copula interposita, scripsi: *transfugit, et magno usui consuli fuit. BC.* Lallemandus praetulit: *magnoque usui consuli fuit*, quod in Frob. 2. aliisque editionibus legitur. Vid. Annotatt. ad Liv. XXXIII, 38. p. 97. — et aerarius factus] Cod. *et operarius factus*, pro quo Kopitarius in codicis collatione perperam *et l. operarius factus* scripserat. — quae postea Sempronia adpellata est] Verbum *est* primum ab Ernestio, deinde a Doeringio aliisque omissum restitui.

Cap. XVII. septimo decimo] Cod. *septumo decumo*, cui Sigonius *quarto decimo* recte substituit. *B.* — M. Aebutius Elva] Bekkeri annotatio: „M. Aebutius Siciliam] haec addidit Grynaeus." nomini *M. Aebutius* subiecta pertinet ad verba: *M. Aebutius Siciliam*, quae in extrema capitis parte leguntur. — provincias; ut] Cod. *prouideant eum*, ita quidem, ut *prouideante* in extremo versu sit positum. Vid. igitur, an — *provincias; ut ante*, quam magistratum inirent, *utri Macedonia consuli, cuique praetori classis evenisset, sciretur*, sit scribendum. Sic infra cap. 37. *Id, quia naturali ordine statis temporibus fiat, et sciri ante et praedici posse.* Praeterea cf. XLII, 25. extr. — venisset] Crevierius maluit *evenisset* vel *obvenisset*. Illud in minore Livii editione praetuli. Recte secusne, alii viderint. Baumgarten-Crusio *obvenisset* magis placuit, sed Bekkerus non solum hic vulgatum servavit, verum etiam XXIX, 20. edidit: *cui Sicilia provincia sorti venisset*, pro *sorte evenisset*, quod codicum meliorum auctoritate destituitur. — si qua re consulto opus esset] Haud scio an *si qua in re* scribendum sit. Cic. Epp. ad Div. XIII, 23. *si qua in re opus ei fuerit.*

Cap. XVIII. etiam quod] Cod. *et eam quod.* Doeringio *quod* superfluum videtur. Cave credas. Coniunctio *quod* ad verbum *apparuit* referenda. — petit] Duke-

rus, cui Drakenborchius astipulatus est, *petiit*, quod recepi, scribendum censuit. *BC. B.* — capi posse ratus. Senatus] Cod. *capi posse se ratus*. Bekkerus haud dubie rectius, id quod facere non ausus eram, edidit: *capi posse. senatus*, quod in *se ratus* est corruptum. — simul in Veientibus. novemdiale sacrum factum est] Cod. *beientibus*. Livium *simul in Veienti. Bis novemdiale sacrum factum est* scripsisse, Iac. Gronovius invidenda sane coniectura perspexit. *BC. B.* Baumgarten-Crusius tamen *simul in Veientibus* retinuit, et, quum *bis* addidisset, non satis accurate haec annotavit: „*Bis* ex sententia Iac. Gronovii adieci cum Kreyssigio." Hoc quoque possit defendi: sed Gronovii coniectura multo maiore facilitate commendatur. Praeterea Grynaeus quoque, quum paullo ante *ibi sine exitu* in codice invenisset, vocabulum *bis* optime restituit. — aedilium curulium] Cod. et Frob. 1. *aedilis curulis*. Sed vulgatum, id quod Drakenborchius annotare neglexit, iam Frob. 2. recte exhibet.

Cap. XIX. quum nondum legati redissent] Cod. *nondum in legati redissent*, omisso *cum*. Pro *in*, nisi fallor, *inde* scribendum, vocabulis ita transpositis: *cum nondum legati inde redissent*. Vid. quae infra ad cap. 27. et XLV, 41. annotavi. — eiectos] Immo *reiectos*, quod iam Lallemandus ex Manutii et Gronovii emendatione vulgato substituit. *BC. B.* — pridie Idus Aprilis] Cod. et Frob. 1. *pridie id. April.* Hoc in codice reperiri, Kopitarius postea per literas me docuit. Ergo ex consuetudine latina *pridie Idus Apriles* scribendum. *BC. B.* — Sacrificio rite perfecto, primi Alexandrini] Crevierio auctore exterminavi verba: *Sacrificio rite perfecto*, ex antecedentibus temere repetita, nec quisquam, opinor, postliminio reducet. *BC. B.* Vid. quae ad Caes. B. G. I, 3. annotavi. — primi Alexandrini, legati ab Ptolemaeo et Cleopatra regibus, vocati sunt] Cod. *ab ptolemeopatra*. Sic fratris et sororis nomina coaluerunt. Bekkerus, qui Liv. XXXVII, 3. pro *ab Ptolemaeo*, spreta codicum omnino omnium auctoritate, *a Ptolemaeo* edidit, hoc loco nihil mutavit. Neque opus est mutatione. Vid. Walchii Emendatt. Liv. p. 159. ibique adde IV, 32. *ab pristini diei meliore occasione*, XXII, 39. *ab patria*, et XXXI, 25. *ab Piraeeo* pro *a Piraeeo*, quod paullo post legitur. Cur autem Bekkerus ediderit: *regibus vocati sunt*, me non intelligere fateor. Etenim *legati*, quod praecedit, idem est quod *missi*. Vid. Drakenborch. ad Liv. XXVIII, 9, 1. nostrasque Annotatt. ad Liv. XXXIII, 48. p. 117. — Alexandriam tenebat] Recte Bekkerus, licet Kopitarius taceat, hic quoque *Alexandream* scripsit, et paullo post *Alexandream terrebat* atque *a moenibus Alexandreae* edidit, quae in codice reperiuntur. Eandem scribendi rationem XLV, 10. 11. et 12. nosmet ipsi secuti sumus. — potiretur] Cod. *poteretur*, quod Bekkerus praetulit. Idem Tacit. Annal. XII, 48. et 51. in cod. Med. reperiri, Orellius testatur.

Cap. XX. uti, nisi vesper esset] Cod. *ut ui nisi uesper eset*, vocula *ut* in extremo versu posita. Propterea, quum *ui* vel ex *ut*, quod praecedit, vel ex *nisi*, quod

sequitur, subortum esse videatur, *uti* in *ut* mutavi. *BC. B.* — Hiemem etiam asperam rebus gerendis intervenisse] Cod. *in hiemem etiam in spe rebus gerendis intervenisse.* In altera Livii editione scripsi: *Hiemem etiam ex insperato rebus gerendis intervenisse.* Nollem factum. Etenim hic quoque error errorem peperit, ita ut verba *etiam asperam rebus* primum in *etiāsperārebus*, deinde in *etiāsperebus* abirent. Alterum *in* ex *in otio,* pro quo in codice *notio* legitur, alterum ex *intervenisse* petitum videtur. — sex * frumentum] Cod. *ui frumentum,* Frob. 1. *VI frumentum.* Sigonius supplevit *dierum,* quod Drakenborchio recte displicuit. Maior modiorum numerus, nisi *frumenti* scribas, huic loco inferri non potest. Quid igitur impedit, quo minus *sex mensum frumentum* scribamus? De genitivo *mensum,* qui, quum *frumentum* sequatur, facile intercidit, vid. quae ad XLI, 25. annotavi. — distinere] Cod. *destinere,* de quo cf. Garatonium ad Cic. Philipp. XI, 2. Tom. II. p. 371. sq. ed. Wernsdorf. Haud dubie praestat *distineri,* quod Gronovius suasit, atque Clericus, Crevierius, Lallemandus et Bekkerus receperunt, ut *potuisse* non ad Ap. Claudium, sed ad Persea referatur. — ex castris] Cod. *e castris,* quod Grynaeus in illud mutare non debebat. *BC. B.*

Cap. XXII. quum aut consul essem consalutatus] Cod. *cum aut conpulsus consulatus.* Haec misere depravata esse apparet. Malim igitur, quum sequatur: *aut quo die magistratum inissem,* non tam *consul essem consalutatus,* quam *consul essem creatus* scribere. Librarium enim, qui similiter XLIV, 14. *renouare nouantibus* pro *renovare volentibus,* et XLV, 43. *praetor cum cons. consulatus* pro *praetor cum consule conlatus* scripsit, et alibi ita peccasse, in Annotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 69. docui. Quae apud Plutarch. Aemil. cap. 10. leguntur, ad *gratulationem* paullo ante commemoratam referas. Weissenbornius Lectt. Liv. Part. II. p. 12. minus probabiliter coll. Plutarchi loco et Liv. XXII, 35. ubi nobilitas L. Aemilii Paulli avum diu ac multum recusantem ad petitionem consulatus compulisse dicitur, scribendum esse coniecit: *cum aut compulsus essem ad petitionem consulatus, aut* etc. — quando quiescendum sit. Nec, quid melius faciendum sit] Cod. *quando quiesset sit ne quid melius faciendum sit.* Ordinem verborum a librario turbatum simulque integram huius loci scripturam sic restitui: *quando quiesse sit melius. Nec, quid faciendum sit,* etc. *BC. B.* Similiter XLII, 27. verba: *Brundisii adesse iuberet. Hac classe* etc. in codice ita sunt transposita: *brundisi adesse hac classe iuberet.* Infra cap. 36. *Non operae sit stanti nunc in acie docere, quibus de causis hodie quiesse melius sit,* ubi *qui hodie esse* pro *hodie quiesse* in codice legitur, et III, 48. *Proinde quiesse erit melius.* — nec enim] Cod. *quae neque enim,* omisso *sunt,* quod praecedit. Frob. 1. et 2. *Neque enim,* quod revocavi. *BC. B.* Qui primus hoc loco, ut Bekkerus XXII, 39. in verbis *neque illi terra,* vocabulum *neque* temere in *nec* mutaverit, Drakenborchius annotare neglexit. Praeterea vid. quae ad XLV, 8. annotavi. — male rem gerere] Cod. *male remp. gerere,* id est

rem publicam, quod nihil cunctatus recepi. *BC. B.* Vid. Gronov. et Drakenborch. ad Liv. VIII, 31, 2. — deinde ab his] Malim *ab iis*. — qui intersunt gerendis loco] Saltem *in loco* scribendum. Vid. Walchii Emendatt. Liv. p. 22. sq. — ne deneget] Cod. *is ne deneget*. Grynaeus pronomen *is* per imprudentiam omisit. *BC. B.*

Cap. XXIII. Medeone] Cod. *mitione*, quod in *Meteone* mutavi, quum infra cap. 32. *meteonem* in codice legatur. *BC. B.* — uti, iureiurando] Cod. *ut iureiurando*. Hic quoque a codicis scriptura non discedendum erat. *BC. B.*

Cap. XXIV. ad Eumenem et ad Antiochum] Frob. 1. *et ad Eumenen et ad Antiochum*. In Frob. 2. vocula *et*, quae in codice non legitur, omissa est. Drakenborchius hac de re tacet. Ceterum de hoc loco cf. Handium ad Gronovii Diatrib. in Stat. Tom. I. p. 298. — Eropon] Infra cap. 27. *hieropon* et cap. 28. *eroponti* in codice legitur. Reiskius Polyb. XXIX, 3, 8. *Κρυφῶντα*, Schweighaeusero probante, in *Ἡροφῶντα* mutandum esse coniecit. Propterea legato *Herophontis* nomen fuisse existimavi. *BC.* Bekkerus tamen, quum cap. 27. *hieropon* in codice reperiatur, rectius *Hierophon* scripsisse videtur. Nam hoc quoque nomen apud Thucyd. III, 105. aliosque legitur.

Cap. XXV. non tam quia paternae — accensae. Non ea regum aemulatio] Bekkerus ex Heusingeri coniectura edidit: *non tam quia paternae inter eos inimicitiae erant, quam ipsorum odiis inter se accensa non ea regum aemulatio.* Quod Heusingeri commentum Weissenbornius Lectt. Liv. Part. II. p. 5. sq. recte improbavit, totumque locum optime interpretatus est. — adipisci] Cod. *apisci*, quod vulgato praetuli. *BC. B.* Vid. Drakenborch. ad Liv. IV, 3, 7. et Ruddimanni Inst. Gramm. Lat. Part. I. p. 262. — ne bello interesset, mille et quingenta talenta] Verbo *interesset* lacunae signum apposui. *BC. B.*

Cap. XXVI. ac receptus] Cod. *auc receptus*. Weissenbornius Lectt. Liv. Part. II. p. 6. not. 4. scribi maluit *aut reiectus*, coll. Cic. pro Lig. cap. 9. *Quotus enim quisque istud fecisset, ut, a quibus in dissensione civili non esset receptus, esset etiam cum crudelitate reiectus, ad eos ipsos rediret?* — sed etiam Gentii] Cod. *sed tam tegenti*, quod in *sed iam ante Gentii* mutandum esse existimavi. *BC.* Similiter enim Liv. XXX, 16. in cod. Put. *bis iam teversae* pro *bis iam ante eversae* legitur. Bekkerus *sed et ante Gentii* edidit, quod mihi quoque in mentem venerat. Et habet, quo placeat, quum *et tum Gallorum* etc. sequatur. — castris regis] Bekkerus *castris regiis* edidit. — per viam quanta omnium praeparata cura regis copia multitudini foret] Cod. *per quem quantā omnium praeparatam cura regis copiam intuli forent*. In verbis *per quem* haereo, in ceteris non item. Quippe veram, nisi fallor, lectionem codex offert, quum discesseris a verbis *intuli forent*, pro quibus, quum huius libri cap. 7. *ferre* pro *fore*, et cap. 23. *inlyris* pro *Illyriis* in codice scriptum exstet, *inlyri* sive *Illyrii ferrent* reponendum videtur. Hanc coniecturam, quam

mihimet ipsi undique placere non dixerim, Weissenbornius Lectt. Liv. Part. I. p. 25. ita refutavit: „Illyrii ab h. l. perquam alieni sunt, propterea quod Galli iam peragrata Illyria ad Desudabam, Maedicae oppidum, castra habent, et inde in Pelagoniam transituri Illyriam ne attingunt quidem; et quod Perseus paulo ante dicitur denuntiasse per vicos urbesque quae viae propinquae erant, igitur per Paeonias, ut commeatus expedirent. Tantum igitur abest, ut Illyrii eos attulerint, ut ipsi Macedones, Paeoniam incolentes, praeparare omnia iubeantur. Deinde vellem V. D. aliis locis *ferre* pro *afferre* dici probasset. [Cf. Liv. XXXIX, 50. *missusque qui venenum ferret*, id est *afferret*, et Plat. Phaed. cap. 66, ἐν κύλικι φέροντα τετριμμένον, sc. τὸ φάρμακον, quibus locis adde Horat. Sat. II, 7, 34. Ovid. Fast. I, 403. et Vellei. Pat. II, 27. Similiter Liv. XXI, 18. *portare*, cui Polyb. III, 33. φέρειν respondet, ut Xenoph. Cyropaed. III, 3, 2. κομίζειν, pro *apportare* ponitur.] Equidem dubius haereo, utrum recte Grynaeus *multitudini* scripserit, quae etiam paulo ante opponitur principibus, an legendum sit: *quantam* — *praeparatam* — *copiam* (ut cod. habet) *inventuri forent*. Cf. XLIV, 7. extr. XXXVII, 7. *Per viam* recte habere videtur. Cf. §. 5. XXV, 8, 9. XXVII, 43, 10. all." Hoc in *per quem* abiisse, mihi persuaderi non patiar. Pro *intuli forent* olim *incolae ferrent* repositurus eram. Neque tamen nego, verba *copia multitudini* in *copiam intuli* a librario corrumpi potuisse. — sat esse] Cod. *satisse*, cui *satis esse* substitui. *BC. B.* Vid. quae ad XLI, 10. annotavi.

Cap. XXVII. Adparebat in omnibus] Recte Drakenborchius non *ita*, ut Rupertius falso perhibet, sed *inde* pro *in*, quod Doeringius et Bekkerus aliorum arbitrio deleverunt, reponendum esse censuit. *BC.* — contemnere multitudinem aliam] Cod. *non temnere multitudinem alia*, litera *m* in verbo *temnere* puncto superimposito inducta. Librarius igitur, id quod Grynaeus non vidit, voluit legi *non tenere*, quod vulgato *contemnere* haud dubie praestat. *BC. B.* Sic Virgil. Aen. IV, 380. *Neque te teneo, neque dicta refello.* — Perrhaebiae saltum in Thessaliam traducta] Non male, opinor, Ant. Perizonius post Gruterum, quum *manus* non simpliciter *Perrhaebiae saltum traducta* dicatur, sed *in Thessaliam* adiiciatur, praepositionem *per* a nomine *Perrhaebiae* interceptam esse suspicatus est. — subsisterent] Hoc verbum Kopitarius in codicis collatione omiserat. — ex victo] Cod. *ex edicto uicto*. Propterea non *a se victo*, quod Doeringio placuit, sed *ex se victo* edidi. *BC. B.* Librarius enim, litera *s* omissa, primum pro *victo* perperam *dicto* scripserat.

Cap. XXVIII. sparsae per Cycladas insulas naves] Non *sparsi*, quod Crevierius suasit, sed *sparsas*, quod Drakenborchio placuit, recipiendum putavi. *BC.* — inviolatas] Cod. *inuiolatus*. Immo *inviolatos*, quod vulgato substituendum esse iam Gronovius docuit. *BC. B.* Lallemandus et Doeringius iam ante nos receperunt. — hippagogos] Cod. et Frob. 1. *hippagogus*, quod Bekkerus revocavit, servata terminatione

graeca. — a Subotis] Cod. *ac subotis*. Propterea in altera Livii editione *ab Subotis* scripsi. — aperuissent] Cod. *apparuissent*, Frob. 1. *apparuisset*, quod Turnebus recte in *aperuissent* mutavit; praesertim quum *apparuissent* in codice legatur. Ceterum in Turnebi pariter ac Drakenborchii annotatione, id quod Rupertius omnia pervertens non vidit, *aperuissent* pro *aperuisset* scribendum. — partim nervos succiderunt] Ernestius in Gloss. Liv. s. v. *pars*: „Debebat esse *partis*, sc. *eorum*." Haud scio an in altera Livii editione rectius *parti* scripserim. Aliorum locorum, ubi *partim* cum genitivo pluralis numeri iungitur, diversa est ratio. Cf. Reisigii Gramm. Lat. p. 324. — viginti eximiae equos formae] Haud scio an, vocabulis transpositis, *viginti eximiae formae equos* sit scribendum. — reversis decem lembis] Cod. *ingressi sex lembis*. Utrumque librarii errorem, quem praecedens *progressi sunt* et nota *x*, qua numerus denarius significari solet, praebuisse videntur, Grynaeus mea quidem sententia, quum decem lembos in Macedoniam missos esse ex praecedentibus intelligatur, ideoque *reversis sex lembis* scribi nequeat, probabiliter admodum correxit. — Aegeo] Cod. *aegelo*. Hic quoque, ut alibi, *Aegaeo* scripsi. *BC. B.* Graecis enim *Αἰγαῖον πέλαγος* dicitur.

Cap. XXIX. induciis religione loci praebente] Vocabulum *loci* in Bekkeri editione typographi negligentia omissum est. — quibus poterat, Popillius aut Eumenis naves subcurrebat] Iam Doeringius Gronovium secutus *poterant* et *succurrebant* recepit. *BC. B.* Lallemandus et Rupertius, qui et ipsi Gronovio obsecuturi erant, ita peccaverunt, ut *poterat* retinerent.

Cap. XXX. novique duces in provinciam venerant] Haud scio an *in provincias* sit scribendum. — Epicadum] Cur Bekkerus hic perperam *Picadum* et infra recte *Epicadus* scripserit, non liquet. Editor eruditissimus dormitasse videtur. — similius] Cod. *simillium*, quod recte, ut opinor, in *simillimum* mutavi. *BC. B.* — per missos nuncios] Cod. *per remissos nuntios*, quibus *per praemissos nuntios* substitui. *BC. B.* — Caravantis] Cod. *carauandis*, quod Bekkerus nescio quam ob causam praetulit. Similiter paullo ante *caruandium* pro *Caravantium* in codice legitur. — Bullinorum] Cod. *bullaniorum*, quod Grynaeus perperam in *Bullianorum* mutavit. Vulgatum Drakenborchii diligentiae debetur. — Genusuum] Cod. *genuussuum*. Hic et infra, ubi codex *genusuum*, et Frob. 1. *Genussuum* offert, verum huius fluvii nomen *Genusum* ex Caes. B. C. III, 76. et Lucan. V, 462. restitui. *BC. B.* — adsumtis Parthinorum iuventutis duobus millibus] Cod. *partinorum iuuenta duobus milibus*, Frob. 1. *Partinorum iuventutis duobus milibus*, vocabulo *assumtis*, quod Sigonius addidit, in codice pariter atque editione principe omisso. Gronovius, cui obsecutus sum, vocabulum *iuventutis*, quod Grynaeus codicis scripturae *iuventa* substituit, in *iunctis* mutavit. *BC. B.* Recte an perperam, non dixerim. — tradiderunt se] Pronomen Kopitarius in codicis collatione omiserat.

Cap. XXXI. id quod belli caput fuerat] Cod. *ad quod bellica potuerat.* Vides, verba *belli caput erat* primum in *bellica poterat*, deinde in *bellica potuerat* esse corrupta. In maiore igitur Livii editione de Drakenborchii sententia scripsi: *id quod belli caput erat. BC. B.* Postea vero, quum voculam *ad* a librario ex antecedentibus temere repetitam esse intellexissem, in minore Livii editione *quod belli caput erat* reponendum esse iudicavi. Etenim *id quod* ex consuetudine latina hic non magis ferri potest, quam Liv. VI, 17. et XXXIII, 48. ex vulgata quidem lectione, quam utroque loco ita emendavi, ut illo pro *id quod erepturi erant*, quod Bekkerus et Alschefskius perperam retinuerunt, Baumgarten-Crusium secutus *quod erepturi erant* in altera Livii editione reponerem, hoc autem pro *id quod serum erat* ex cod. Bamb. *ad id quod serum erat* Livio restituerem. Vid. Ruddimanni Inst. Gramm. Lat. Part. II. p. 23. et Reisigii Gramm. Lat. p. 355. ibique Haasii not. 364. — munitissima longe est] Malim *longe munitissima est.* Sic paullo post *longe altissimus* legitur. Vid. Drakenborch. ad Liv. VI, 32, 5. — Barbana] Cod. *barbanna*, quam nominis formam, quum hoc flumen a Vibio Sequestri *Barbenna* vocetur, hic et infra, ubi in codice *babano*, et in Frob. 1. *Barbano* legitur, praeferendam putavi. *BC. B.* — Scodro] Cod. *scodra.* Recte igitur Drakenborchius, quum XLIII, 20. *iugum Scordi montis* commemoretur, etiam hic, literis transpositis, *Scordo,* et paullo post *Scordus* pro *Scodrus*, quod in codice legitur, scribendum esse censuit. *BC. B.* Nomen *Scodra*, quod supra et infra legitur, librarium in errorem induxisse apparet. — actis] Ex Gronovii emendatione in minore Livii editione *coactis* scripsi. — coenam] Cod. *cenam*, quod Bekkerus praetulit. — recideret] Cod. *recciderct*, quod Bekkerus itidem vulgato substituit. Vid. Schneideri Gramm. Lat. Part. I. Vol. II. p. 586.

Cap. XXXII. Medeonem] Cod. *meteonem*, quod hic ut supra cap. 23. praetuli. *BC. B.* — bello Illyrio] Lectionem *Illyrico* a Gronovio emendatam in codice quoque reperiri, Kopitarius in codicis collatione annotare neglexerat. — ac liberis] Copulam a Drakenborchio restitutam in altera Livii editione rursus delevi. Nollem factum. Etenim XLV, 43. similiter haec leguntur: *Ante currum ducti Gentius rex cum coniuge et liberis, et Caravantius frater regis, et aliquot nobiles Illyrii.* — Thessalonicae] Cod. *tessalonica*, Frob. 1. *Thessalonica*, cui Frob. 2. vulgatum substituit, mutata verborum interpunctione. De codicis scriptura Kopitarius per literas me certiorem fecit. — Aeniam] Cod. *aenean*, quod in *Aeneam* mutatum hic quoque ut supra cap. 10. praetuli. *BC. B.* Bekkerus tamen codicis scripturam servavit. — cum Antigono] Cod. *creantigonensis.* Magnopere vereor, ut Grynaeus de Antigono, uno ex purpuratis Persei, qui supra cap. 26. memoratur, cogitans veram huius loci scripturam restituerit. Quovis enim pignore contendam, nomen proprium cum vocabulo *Antigonensis* librarii culpa coaluisse. Iam vero, quum XLII, 58. Meno et Patrocles Antigonenses inter Persei duces commemorentur, quid impedit, quo minus

tertius accedat Creon nescio quis, idem Antigonensis? Scribe igitur: *cum Creonte Antigonensi*. Recte enim Grynaeus praepositionem addidit. Paullo aliter, id quod postea vidi, Weissenbornius Lectt. Liv. Part. II. p. 14. not. 10. hunc locum emendandum, et verbum *praeerat* excidisse ratus coll. XLII, 58. scribendum esse censuit: *equites, praeerat Meno Antigonensis, misit*. Utrum sit probabilius, alii iudicent. — Milo] Cod. et Frob. 1. *Midon*, quod Bekkerus revocavit. Nos hic quoque ut XLII, 58. *Medon* scripsimus. *BC*. — feminae, ex propinquis urbibus coactae, cibaria in castra adferebant] Ex certissima Drakenborchii coniectura, mutata verborum interpunctione, *cocta cibaria* scripsi. *BC. B*. — ex propinquis silvis] His verbis in codice vocabulum *benigne* additur, in extrema pagina positum, quod recepi. *BC. B*. Ceterum non hoc exspectes, sed *ligna petere*, quod Crevierius supplevit.

Cap. XXXIII. *** postremo sequi se utrarios ad mare] Cod. *conferre postremo sequi sed utrarios ad mare*. Verbum *conferre* a Kopitario in codicis collatione cum vocabulo *benigne* perperam coniunctum recepi. *BC. B*. Paullo post Kopitarius verbum *sequi* in codicis collatione omiserat, sed in codice reperiri postea testatus est. Propterea Bekkeri annotationem his verbis subiectam: „*sequi se* Grynaeus: L *sed*." vel deleas, vel hunc in modum corrigas: „*se* Grynaeus: L *sed*." — deducta] Non Gronovius, ut Baumgarten-Crusius perhibet, sed Drakenborchius suasit *diducta*, quod vulgato praetuli. *B*. — vadit] Bekkerus haec annotavit: „*vadit* Grynaeus: L *quae*, omisso mox *qua*." Recte quidem. Sed librarius scripsit: *primis quae ordinibus quae ad contemplandos transitus*, omisso *qua*. Weissenbornius Lectt. Liv. Part. II. p. 12. recte negavit, verbum *vadere*, quod alibi de motu concitatiore et gradu accelerato dicatur, a Livio ita usurpari, ut sit idem quod *progredi*. Propterea hoc ipsum verbum excidisse ratus scribendum esse coniecit: *ad contemplandos transitus est progressus*. Nec displicet. — clamores deinde dissonos oriri omnibus locis] Cod. *clamores deinde dissonos os talos minus facere clamores deinde dissonos sorori omnibus locis*. Paullo ante *alios nimis facere*, quibus librarius hoc loco *talos minus facere* substituit, in codice legitur. Grynaeus omnia recte emendavit et in iustum ordinem redegit. — ex matutina statione] Cod. *ex statiua statione* pro *matutina*, quod Grynaeus recte substituit. Similiter librarius infra cap. 34. pro *concione advocata*, quia *pronuntiasset* sequitur, *contione adnuntiata* scripsit. Vid. Annotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 69. Paullo ante pro *fessos* in codice *professos* legitur. Quod quid sibi velit, non intelligo.

Cap. XXXIV. advocaverit] Cod. *aduocarint*, quod Grynaeus, id quod feci, in *advocarit* mutare debebat. *BC. B*. — milites, consul, et imperator] Cod. *milites consultet imperator*. Inchoatam igitur a Perizonio, qui *milites consulant*, quod Lallemandus recepit, vel *miles consulat* scribi voluit, huius loci emendationem codicis auctoritate fretus ita absolvi, ut scriberem: *in quo exercitu milites consultent, impe-*

rator rumoribus vulgi circumagatur, ibi nihil salutare esse. **BC. B.** — eis praebeat] Cod. *is praebeant.* Bekkerus igitur recte *eis* in *iis* mutavit. Vid. quae ad XLI, 6. annotavi. — quod futurum sit] Cod. *quod id futurum sit,* Frob. 1. *quid futurum sit,* cui Frob. 2. vulgatum male substituit. Propterea illud revocavi. **BC. B.** Grynaeus enim bene perspexit, librarium ipsum, ut assolet, errorem a se commissum correxisse. Similiter supra cap. 12. *cum ualido a manu* pro *cum valida manu,* nisi forte librarius ad proximum nomen *Agrianum* aberraverit, XLII, 57. *quarto a,* inducta *o* litera, pro *quarta,* et XLV, 25. *si quod id opus esset* pro *si cui opus esset,* quod Grynaeus perperam substituit, in codice legitur. Vid. quae Drakenborchius, cui vulgatum placuisse miror, ad Liv. XXXIX, 26, 6. annotavit. Ceterum praeter Horat. Od. I, 9, 13. *Quid sit futurum cras, fuge quaerere,* cf. Liv. XXXIX, 12. *aliquot annis, ex quo manumissa sit, nihil, quid ibi fiat, scire.* Haec olim de huius loci scriptura commentatus sum. Nunc paene malim, transpositis vocabulis, scribere: *illos nihil id, quod futurum sit, quaerere.* — scuta alii loricasque tergere] Hoc in Frob. 2. legitur. Cod. et Frob. 1. *scutorum alii loricas tergere,* quod recte, opinor, in *scuta alii, alii loricas tergere* mutavi. **BC. B.** Postquam enim *scuta* propter praecedens *bucculasque* in *scutorum* erat corruptum, alterum *alii* eo facilius, quum superfluum videretur, potuit omitti. — aut morte memorabili inituros bellum] Cod. *memorabilis inituros.* Ex Mureti coniectura *inituros* in *finituros,* cuius prima litera in *s* mutata praecedenti vocabulo adhaesit, mutare non dubitavi. **BC. B.** Sic etiam XLII, 62. pro *finiri* in codice *sinere* legitur. Iacobsius tamen in Notis in Livii Lib. XXXIII. p. 392. Drakenborchii iudicium secutus hoc improbavit, et scribere maluit: *aut morte memorabili inclinaturos bellum,* quod a codicis scriptura longius discedere videtur.

Cap. XXXV. adcuratius curantur] Cod. *accuratius curatur.* Librarius hic quoque suo more ita peccavit, ut, quum *accuratius* praecedat, *curatur* poneret pro *celantur,* quod ex Gronovii emendatione vulgato substitui. **BC. B.** Quod olim coll. Cic. pro Arch. cap. 11. *quod obscurari non potest,* conieceram *obscurantur,* dudum reprobavi. — agendos castris] Cod. *agē dos i castris,* ita quidem, ut *agē* in extremo versu sit positum. — Schoenum] Cod. *choenum.* Recte igitur Gronovius coniecit, *Coenum* esse scribendum. **BC. B.** — notae et fidei iam sibi et prudentiae homines] In altera Livii editione, mutato verborum ordine, rectius scripsi: *notae iam sibi et fidei et prudentiae homines.* — quales ad Perrhaebiam transitus sint] Haec in codice leguntur. Editor Bipontinus nescio qua auctoritate scripsit: *qualis ad Perrhaebiam transitus sit.* — praesidiis autem regis obsideri] Hic quoque Crevierio obsecutus *regis* in *regiis* mutavi. **BC. B.** Vid. quae supra ad cap. 6. annotavi. — procul] Hoc vocabulum, quum *provideri* sequatur, in utraque Crevierii editione typographi culpa omissum est: neque erat, cur Doeringius Crevierio indignaretur. — ne quid eos moraretur] Pro *eos* in codice legitur *etus,* quod ex *eius* ortum videtur.

Recte tamen Grynaeus *eos* scripsit. — distineret] Cod. *detineret*, quod huic loco multo accommodatius esse apparet. *BC. B.* Vid. quae supra ad cap. 20. annotavi. — pugnatumque utrimque est levi armatura] Cod. *pugnatum adque utrimque sit leui armatura.* Grynaeum non fefellit, librarium *sit* pro *est* posuisse. Vid. quae ad XLII, 4. hac de re dixi. Ceterum nescio an rectius scribatur: *atque pugnatum utrimque est levi armatura.* — non ab his tantum] Malim *ab iis*, ut alibi. — velnti per devexum in mare brachium transitum tentaturus] Cod. *uelut a per deuexum bracchium transitum temptaturus.* Grynaeus verba *in mare* probabiliter admodum inseruit.

Cap. XXXVI. et, meridie instante, magis accessurum utrumque apparebat] Cod. *et meridie aestate magis adcesserunt tum mox adparebat.* Verba: *meridie instante,* quum librarius ad antecedens *meridie,* quod pro *meridiem* in codice legitur, recurrisse videatur, in *media aestate* mutanda esse suspicor. Ad haec Weissenbornius Lectt. Liv. Part. I. p. 24. „Sed hoc additamentum, inquit, non liberum est a tautologia quadam, cum praecedat: *post circumactum solstitium.* Deinde sententia, quae non potest non his verbis inesse, per mediam aestatem sitim esse auctam, a nostro loco aliena est, cum Livius de ipso illo die, quo iter fecerant, agat, neque vero de aestate. Tum non negligenda est gradatio: *anni tempus; hora ad meridiem vergebat;* iam gravius aliquid exspectas, neque dubito, quin Livius adiecerit; quid scripserit significat §. 6. *quantum incresceret aestus,* cap. 38, 9. ubi Aemilium dicentem facit: *torrente meridiano sole;* quibuscum si comparaveris XXVIII, 15. *aestus a meridiano sole,* cf. XXXVIII, 17. *sol, pulvis, sitis* etc. XXXV, 5. XXXIV, 47. non nimis audacem habebis hanc mutationem: *et meridiano*, vel quod praefero, *meridiei aestu.* Deinde recte correctum puto: *accessurum,* certe id suadet temporum gradatio: *factum erat — sentiebatur,* et *utrumque*; sed *mox,* quod codex habet, servandum et locus ita legendus esse videtur: *et meridiei aestu magis accessurum utrumque mox apparebat.*“ Pro eo nunc malim: *et meridiano aestu magis accreturum utrumque, mox apparebat.* Sic paullo post *aestus increscere* dicitur, et Cornel. Nep. Att. cap. 21. haec leguntur: *postquam in dies dolores accrescere febresque accessisse sensit.* Dubito enim an Latini dixerint *meridiei aestum* pro *meridiano*, et *accedere* simpliciter pro *augeri* sive *increscere.* — neque enim ne his] Adieci *quidem* auctore Gronovio, qui *nam ne his quidem* scribere maluit. *BC. B.* Vid. Madvigium ad Cic. de Fin. I, 11. p. 82. sq. et Reisigii Gramm. Lat. p. 587. ibique Haasii not. 494. — Ne hostem quidem ludificatos priores imperatores, fugiendo certamen, manibus emittere] Cod. *ludificatus.* Gronovius hunc locum ita constituit: *Ne hostem, pridem ludificatum priores imperatores, fugiendo certamen manibus emitteret.* Non potest melius: dummodo ne particula *quidem* in *pridem* mutetur, sed illico exterminetur. *BC. B.* Librarius enim, id quod iam Crevierius recte suspicatus est, hoc vocabulum supra omissum, quum a verbis *ne hostem* ad

praecedentia *ne his quidem* recurrisset, alieno loco inseruisse videtur. — Vereri, ne nocte abeat, sequendus maximo labore ac periculo in intima Macedoniae] Cod. primum *habeat*, deinde *maxime*, denique *macedoniae sit*. Atque hoc ipsum, quod ultimo loco posui, effecit, ut perspicerem, totum locum, particula *si* inserta, hoc modo in integrum esse restituendum: *ne, si nocte abeat, sequendus maximo labore ac periculo in intima Macedoniae sit. BC.* Bekkerum in vulgato acquievisse miror; praesertim quum infra cap. 37. consul dicatur *locum dedisse hosti, si nocte abire vellet,* ubi *hostis nocte* in codice legitur, et cap. 39. haec in consulis oratione reperiantur: *Quid si hostis hac interposita nocte abisset, quantum rursus sequendo eo penitus in ultimam Macedoniam exhauriendum laboris erat?* — exercitusque] Cod. *aesosque*. Ex iis enim, quae modo diximus, Bekkeri annotationem huic vocabulo subiectam: „*exercitusque* Grynaeus: L *sit aesosque*.“ ita corrigendam esse apparet, ut verbum *sit* deleatur. Pro *exercitusque* autem, quod a corrupta codicis scriptura mirum quantum discrepat, coll. XXII, 56. *L. Aemilium consulem exercitumque caesum*, ex coniectura *caesusque*, id est *magna clade pulsus*, reponendum censui. *BC.* Weissenbornius contra Lectt. Liv. Part. I. p. 25. de hac coniectura: „Alienum est, inquit, quod recepit: *caesusque*. Nam cum Scipio timeat, ne hostis pugnam evitet, si *caesus* legis, fugit iam commissa pugna. In mentem mihi veniebat *illaesus*.“ Id ipsum ego quoque, id quod iuratus affirmo, in adversaria retuleram, sed postea spreveram, quum verbum *circumagi*, quod sequitur, exercitui *caeso* potius, quam *illaeso* convenire existimarem. Nunc tamen, licet *caesusque* ad cladem in interiore Macedonia accipiendam referri possit, Weissenbornio non intercedo, quo minus *illaesusque* scribatur, quum prima huius vocabuli syllaba a praecedenti *sit* facile potuerit absorberi.

Cap. XXXVII. detrectatione] Cod. *detractione*, quod Bekkerus in *detractatione* mutavit. Vid. quae ad XLII, 22. annotavi. — nunc senescente exiguo cornu] Recte Florebellus et Gronovius scribere maluerunt *senescentem*, id est *decrescentem*. *BC. B.* Varro de R. R. I, 37. *Quaedam faciunda in agris potius crescente luna, quam senescente*. Plin. Hist. Nat. II, 9. luna *crescens semper, aut senescens*. — edita hora luna quum defecisset] Cod. *edita luna hora cum defecisset*. Quare nunc, mutato verborum ordine, scribere malim: *edita hora quum luna defecisset*. Librarius enim verba *hora cum* primum omisit, deinde vocabulo *luna* postposuit. — tantus utrique ardor exercitui — — discessum esset, accusarent] Haec verba auctore Drakenborchio mediae orationi interposui. *BC.* Nam *fuerat* ad ea referendum est, quae cap. 36. leguntur. Praeterea, transpositis vocabulis, *tantus utrique exercitui ardor ad concurrendum fuerat*, scribere malim.

Cap. XXXVIII. ex omnibus unus] Cod. et Frob. 1. *omnibus ex unus*. In Frob. 2. nihil mutatum. Drakenborchius tacet. Vulgatum iam in ed. Amstelod.

a. 1638. reperitur. Nolim tamen *unus ex omnibus* scribere, quod supra cap. 35. legitur. — ne quis sine caussa vestrum credat] Horum verborum ordinem in altera Livii editione ita immutavi, ut scriberem: *ne quis vestrum sine causa credat.* Vulgatum nemo facile defendet. — inplicatam intuentes aciem] Immo *explicatam,* quod Gronovius inepto *implicatam,* quod Doeringius perquam ridicule interpretatur, substituendum esse vidit. *BC. B.* — onere fessum] Sic Caes. B. C. I, 66. legitur *sub onere* pro *sub sarcinis,* quod ab Hirtio Bell. Afr. cap. 75. illi adiectum est. Praestat tamen, me quidem iudice, *opere fessum* scribere. *B.* Nam militi, *quem neque viae labor, neque operis fatigavit,* opponitur miles *longo itinere fatigatus et opere fessus.* Similiter Liv. XXI, 27. exercitus *nocturno itinere atque operis labore fessus* dicitur, et XXXIX, 28. haec leguntur: *quum diu fatigatus ibi proeliis operibusque essem.* Baumgarten-Crusius ad hanc emendationem non attendisse videtur. Weissenbornius contra Lectt. Liv. Part. II. p. 1. „Cur Kreyssigius, inquit, etsi in cod. Vindob. *onere fessum* scriptum est, tamen *opere fessum* in Livii orationem receperit, iustam causam exputare non possum. Sicut enim priore loco, ubi Aemilius suo consilio factum esse gloriatur, ut milites castris pridie munitis nullo labore fatigati illo die in aciem ducerentur, recte *operis* laborem milites fatigasse negat; ita altero loco, quo eorum sententiam perstringit, quibus ex via in proelium duci exercitum placuerat, *opere fessum* alienum esse videtur et ab oratoris consilio abhorrens. Et hos quidem contra morem Romanum neque opere perfecto, neque castris munitis, neque alia ulla re provisa hosti exercitum obiiciendum statuisse, et hoc potissimum notandum et reprehendendum putavisse consulem, ipse cap. seq: *an nihil nostri habentes praeter nudum solum in quo pugnaremus?* etc., qui locus recte est a Kreyssigio explicatus (cf. Vann. crit. p. 64.), ita declaravit, ut nemo de eius sententia posset dubitare. Iam quae haec est disputandi ratio, ut quod alterum noluisse atque adeo improbasse dicis, id ac si voluisset in eo reprehendas? Neque solum iustus orationis cursus recepta illa coniectura perturbatur, sed etiam ipsa sententia pervertitur. Toto enim loco de incommodis itineris agitur, et viae longitudine commemorata cetera quae proficiscentibus molestiam creare solent recensentur, sudor, pulvis, alia, unum illud, quod de opere interponitur, non ad viam pertinet, sed ad castrorum munitionem, id vero, quod in agmine militibus molestissimum est, eiicitur. Apte autem *onere fessos* milites dici eos, qui sarcinarum onere gestato defatigati sunt, etsi ex ipsa verbi natura cogi potest, addam tamen quaedam exempla. Sic Livius IX, 31, 9. *ut quisque,* inquit, *liberaverat se onere — coibant.* Cf. XXI, 27. XXXVIII, 40. Bell. Afr. 75. *existimabat milites sub onere ac sub sarcinis defatigatos pugnare non posse.* Denique aliis locis, ubi huius rei mentio fit, nihil de opere additum est, neque XLIV, 40, 2. *nec fessos ut pridie ex via neque trepidantes in acie instruenda — aggressurus erat;* neque XLV, 37, 9. *eodem die et iter fecisti et in aciem ex itinere duxisti.* Ex his patere arbitror, quo iure

Bekkerus, cum obviam haberet veterem lectionem, ne indicare quidem dignatus sit; coniecturam illam receperit.“ Quae quum ita se habeant, communis omnibus sit existimatio. — ardentibus siti faucibus] Bekkerus ex Florebelli et Gronovii coniectura *arentibus* edidit, improbante Weissenbornio, qui Lectt. Liv. Part. II. p. 2. „Nam sicut *urere*, inquit, saepe significat exsiccare, ita *arere* eam conditionem, quae urendo efficitur, indicat; ex quo verbo cum formatum sit adiectivum *aridus*, unde ortum est verbum *ardere*, non mirum esse potest utrumque non origine solum sed etiam notionis cognatione cum illa radice esse coniunctum, et summam ariditatem vel igne torrente vel sole urente vel alia qua causa ortam designare; cf. Doederlin. Synon. Lat. IV. p. 114. Iam si *urere sitis fauces* (cf. Horat. Sat. I, 2, 114.) recte dicitur, nescio an fauces, quae siti uruntur, et maiore adeo vi, quam *arentes*, a Livio *ardentes* dici potuerint. Cf. Lucret. VI, 1171.“ — torrentem meridiano sole] Perizonius: „Lege, inquit, *torrente*. Sole enim torretur miles, non torret.“ *BC. B.* Non est, quod dubites de certissima emendatione, quam iam Doeringius recepit. Ablativi quoque, qui praecedunt, absoluti *ardentibus siti faucibus*, et *ore atque oculis repletis pulvere*, eam efflagitant. — quieto] Recte Gronovius, quidquid Doeringius obloquitur, *quieto* mutandum censuit in *requieto*, id est diurna vel nocturna quiete ex itineris laboribus refecto. *BC. B.* Proximum *recenti* effecit, ut librarius syllabam *re* omitteret.

Cap. XXXIX. sepissent] Cod. *saepissent.* Idem Liv. XXXIII, 5. in cod. Bamb. legitur pro *saepsissent*, quod utroque loco restitui. *BC. B.* Bekkerus tamen minus recte *sepsissent* scripsit. Vid. nostras Annotatt. ad Rabirii Fragmenta p. 223. — ut quo victores nos reciperemus] Quamquam voculas *et* atque *ut* a librariis saepissime permutari, Drakenborchius ad Liv. XXI, 28, 8. docuit, tamen ab animo impetrare non possum, ut Weissenbornio Lectt. Liv. Part. I. p. 23. not. 8. *et quo victores nos reciperemus?* scribendum esse censenti assentiar, quum lectionem in codice repertam satis superque tueatur locus simillimus XL, 13. *ut quibus aliis deinde sacris contaminatam omni scelere mentem expiarem?* ubi Gronovius quoque primum *et* pro *ut* repositurus, quum in geminum illum locum incidisset, sententiam retractavit. Idem Weissenbornium facturum esse spero, immo certissime confido. — Nec falleret nos, nec interdiu, nec nocte abeundo] Cod. *nec fallere nos nec interdiu aut nocte abeund*, omissa *o* litera. Grynaeum praeteriit, alterum *nec* a librario ex praecedentibus esse repetitum. Scribe igitur meo periculo: *Nec falleret nos interdiu aut nocte abeundo.* — Quid autem est nobis optatius, quam ut, quorum castra] Cod. *tem est nobis optatus quarum castra.* Vide, quam bene Grynaeus omnia correxerit. Non potest melius hic locus persanari.

Cap. XL. Ac ne illo ipso quidem die — — contraxit certamen] Ita hic locus scribitur ex Gronovii emendatione, cui, ut de impeditiore verborum coniunctione

nihil dicam, illud adversatur, quod in codice primum *consuli aut regi quod*, deinde *consuli quod*, denique *ne tot imperatorum uolente*, scriptum reperitur. Quare hunc locum ex iis, quae cap. 39. praecedunt: *Pugnare enim et ipsi mihi placet*, ita supplendum: *aut consuli, aut regi pugnare placuit; regi, quod nec fessos* etc. ac, servata lectione *consuli, quod*, verba: *neutro imperatorum volente*, de quorum integritate alii viderint, cum Bekkero, qui et ipse, positis lacunae signis, codicem secutus est, ab antecedentibus separanda esse censeo. — hora circiter quarta] Gronovius *nona* restituit ex Plutarch. Aemil. cap. 22. *ἐνάτης γὰρ ὥρας ἀρξάμενοι μάχεσθαι πρὸ δεκάτης ἐνίκησαν*. *BC. B.* Error ex notarum numeralium *IX* et *IV* permutatione ortus. — trahentes] Cod. *tradentes*. Recte tamen Ursinus aliique *traherent* scribendum esse censuerunt. *BC. B.*

Cap. XLI. aglaspides] Cod. *aclaspides*. Immo *chalcaspides*, quod Gronovius ex Plutarch. Aemil. cap. 18. restituit. *BC. B.* — elephantes inducti, et ala sociorum] Cod. *elepantos induci et alias sociorum*. Grynaeus igitur, id quod eum non fecisse miror, scribere debebat: *elephantos inducit et alas sociorum*. *BC. B.* Ita non solum nomen *elephas*, quod iam supra cap. 5. in *elephantus* mutavimus, ex hoc quoque loco expelletur, sed etiam satisfiet Crevierio, qui, quum in exercitu Romano duae fuerint alae sociorum, *dextra* et *sinistra*, alterutrum horum vocabulorum hic excidisse suspicatus est. — quemadmodum agantur] Recte Sigonius, quum *agantur* ad *commenta* referri nequeat, scripsit *agatur*, quod in altera Livii editione vulgato substitui.

Cap. XLII. confestim Costocus sequebatur] Iam Lallemandus, Doeringius et Rupertius Iac. Gronovium secuti recte ediderunt: *confestim eos Cotys sequebatur*. *BC. B.* — e fuga] Cod. *et fuga*, quod in *ex fuga* mutavi. *BC. B.* Sic XLV, 10. *et aduersus* pro *ex adverso*, cap. 14. *et c pondo* pro *ex centum pondo*, et cap. 16. *et foco* pro *ex foco* in codice legitur.

Cap. XLIII. divertit] Cod. *deuertit*, quod praetuli. *BC. B.* — In regia Perseo, qui Pellae praeerat, Euctus regiique pueri praesto erant] Cod. *in regiam*, quod Bekkerus temere admisit. Latini enim *ad locum praesto esse* dicunt; *in locum* pro *in loco* non item. Sed hoc levius: illud multo gravius est, quod in codice legitur: *difficultatibus uide x uexatus in regiam est a perseo qui pellae praeerant coactusque regi pueri praesto erant*; ita quidem, ut litera *x* ex proximo *uexatus* petita puncto superimposito sit inducta. De qua codicis scriptura manifesto corrupta et lacunosa Weissenbornius Lectt. Liv. Part. II. p. 12. disseruit hunc in modum: „Prima illa verba, etsi non ignoro haud raro a librario vocabula temere esse transposita (cf. Kreyssigii Melet. Spec. I. p. 24.), tamen a Grynaeo audacius mutata esse crediderim, qui et *est* alio loco posuerit, et *a* eiecerit. Propius vero est propter praecedentis vocabuli similitudinem aliquid excidisse, et Livium scripsisse: *vexatus in regiam ingressus est. ac Perseo* etc. Confidentius hoc dico de iis quae

sequuntur. Nam non solum quod *praeerant* scriptum est, sed etiam quod *que* additum est, non de uno, sed de duobus Pellae praefectis mentionem factam esse declarat. Neque qui illi fuerint, obscurum est. Conferas velim Plutarchum (Vit. Aem. Paulli c. 23.) eandem rem narrantem: *ἐπεὶ δὲ νυκτὸς Πέλλαν εἰςελθὼν Εὔκτον καὶ Εὔλαιον, τοὺς ἐπὶ τοῦ νομίσματος — ἀπέκτεινεν.* Denique ne *terror* quidem huius loci esse videtur et ex initio capitis de *errore* potius Livium cogitasse coniicias. Itaque nemo, opinor, repugnabit, si pro genuino habuerimus: "*rex ad mediam ferme noctem et errore et variis difficultatibus viae vexatus in regiam ingressus est. ac Perseo, qui Pellae praeerant, Eulaeus Euctusque et regii pueri praesto erant.*" Quibus quidem omnibus eo lubentius accedo, quo certius et ipse persuasum habebam, ex Plutarchi loco, servata lectione *praeerant*, sine ulla dubitatione *Eulaeus Euctusque et regii pueri* esse reponendum.

Cap. XLV. Milo] Cod. et Frob. 1. *Midon*, cui ut supra cap. 32. et XLII, 58. *Medon* substitui. *BC.* Bekkerus hic quoque *Midon* revocavit. — Beroeam] Cod. *ueroeam*. Nihilo secius tamen propter ea, quae sequuntur, *Beroea* scribendum. *BC. B.* — Romanis dedunt] Cod. *romanis se dedunt*, quod utique recipiendum erat. *BC. B.* Nam principes amicorum regis Beroea ad consulem profecti se Romanis dediderunt, non Beroeam, de cuius deditione infra demum haec leguntur: *Beroea primum, deinde Thessalonica et Pella, et deinceps omnis ferme Macedonia intra biduum dedita.* — hoc idem et aliae deinceps metu perculsae parabant facere] Gronovius: „Aut excidit, inquit, vox *civitates*, vel *urbes*: aut legendum *alii deinceps metu perculsi.*" Hoc praestat. *BC. B.* — a castris] Cod. *alcastris*, quod in *ab castris* mutavi. *BC. B.* — Milo] Cod. et Frob. 1. *Midon*, cui hic quoque, ut alibi, *Medon* substitui. Bekkerus *Midon* praetulit. — qui praesidio erat] Gronovius maluit *praeerat*. Et recte quidem. *BC. B.* Erroris origo a praecedenti vocabulo repetenda. — Rex in domum se recepit] Hic quoque pro *in* auctore Gronovio *inde* scribendum. *B.* Altera huius vocabuli syllaba a proximo *domum* est intercepta. Doeringius contra Gronovium protulit Liv. XXVI, 10. *Tunc in domos atque in tecta refugiebant.* Sed huius loci diversam esse rationem, id quidem, ut ait Livius, apparet etiam caeco.

Cap. XLVI. velut insula eminet] Vocabulum *arx* ante vel post haec verba excidisse, Florebellus et Gronovius recte suspicati sunt. Malim tamen, quum vocabulum *aggeri*, pro quo *ăgeri*, syllaba *ă* in extremo versu posita, in codice legitur, illud facilius intercipere potuerit, in Gronovii sententiam discedere. — obvia] Hoc in codice et Frob. 1. reperitur. Recte tamen Frob. 2. *obviam* illi substituisse videtur. *BC. B.* Nam ita Livium loqui, Drakenborchius docuit. Ceterum XLI, 25. *obvius exierat*, et XLII, 1. *obviam exiret* scripsit.

LIB. XLV.

Cap. I. praecerptam] Cod. *praeceptum*, quod, licet illud, quod Grynaeus edidit et Baumgarten-Crusius servavit, multo elegantius esse videatur, in *praeceptam*, quod Rupertius coniectura repertum sprevit, mutandum esse censui; praesertim quum Livius verbo *praecipere* saepissime utatur. *B.* Hirt. B. G. VIII, 51. *ut vel exspectatissimi triumphi laetitia praecipi posset.* — increbuit] Cod. *increuit.* Hic quoque a simpliciore codicis scriptura discedere nolui. *BC. B.* Sic Liv. XLIV, 36. *quantum incresceret aestus.* — quidem] Cod. *equidem.* Sed librarius verbum *evanuit* repetiturus fuisse videtur. — traditur] Cod. *editus*, quod in *editur* mutatum praetuli. *BC. B.* Liv. XXVII, 27. *L. Coelius triplicem rei gestae ordinem edit.* — decimum] Manutius *quintum* recte addidit. *BC. B.* Neque tamen *decimum quintum*, quod Crevierius, Lallemandus et Doeringius edidere, scribendum, sed *quintum decimum.* Hoc latinum, illud barbarum esse, inter grammaticos constat. — escendenti] Cod. *extendenti*, Frob. 1. et 2. *exscendenti*, cui Turnebus recte *escendenti*, Heinsius minus recte *ascendenti* substituit. — diceret,* laureatas] Bekkerus lacunae notam sustulit. — domus] Id ipsum in codice reperiri, Kopitarius mihi significavit. Pro eo in altera Livii editione *domos* reposui. Sic infra cap. 34. *Galli domos abierant*, et XLIV, 45. *domos dilapsi.* Non deerunt, qui improbent. Vid. Schneideri Gramm. Lat. Part. II. Vol. I. p. 449.

Cap. II. ingentem] Iam Lallemandus Drakenborchium secutus, addita copula, *et ingentem* scripsit. *BC.* Bekkerus auctore Gronovio verbum *sunt*, quod praecedit, uncis inclusit. — in forum ad tribunal] Cod. *in forum at urbi*, ita quidem, ut altera vocabuli *urbi* syllaba in versu extremo, altera in principio insequentis legatur. Weissenbornius Lectt. Liv. Part. II. p. 14. not. 10. quum falso dixisset, Grynaeum *ad forum et tribunal* dedisse, vel *ad forum ac curiam*, vel *ad forum et ad curiam* scribendum esse putavit. Equidem malim, quum librarii oculis vocabulum *turbam*, quod praecedit, obversatum esse videatur, *in forum ad curiam* reponere. Cf. quae infra cap. 44. leguntur: *Is, magno comitatu urbem ingressus, ad forum a porta tribunalque Q. Cassii praetoris perrexit*, et XXVII, 50. *Eae literae, per forum ad tribunal praetoris latae, senatum curia exciverunt.* Paullo post, id quod Kopitarius in codicis collatione praetermiserat, non *milia*, ut alibi, sed *millia* in codice legitur. Vid. Melet. crit. Spec. I. p. 17. — ire] Ex Gronovii coniectura, Drakenborchio

13*

probata, *iere* scripsi. *BC.* — quam cum paucis rex fugisset] Cod. *quam pauci rex fugisset.* Vide igitur, an rectius scribas: *cum quam paucis rex fugisset.* Sic XLII, 39. *cum quam multis transiret.* — Supplicatio pro concione populi indicta est] Recte Gronovius: „Scribe *populo*, ut is casus regatur a verbo *indicere*, non a nomine *concio*. Ita enim dicebant simpliciter *pro concione.*" *BC. B.*

Cap. III. ut Latinae] Bekkerus annotavit, *ur* pro *ut* in codice reperiri. Recte quidem. Sed librarium, qui et alibi de verborum forma et sententia securus hanc terminationem temere adiecit et supra cap. 2. *forentur* pro *forent*, et *iussitur* pro *iussit*, atque infra cap. 10. *paeniteretur* pro *poeniteret*, cap. 12. *habuitur* pro *habuit*, et cap. 13. *prouenientur* pro *proveniant* scripsit, hic quoque *decreuitur* pro *decrevit* posuisse, nemo non videt. Ulcus igitur, quod in vocabulo *Latinae* a loci sententia prorsus alieno latet, asperiore remedio ita sanare studebam, ut in altera Livii editione verba *ut Latinae* in *sine dilatione* mutarem. Sic XLIV, 25. *de obsidibus accipiendis sine dilatione agebat,* et Vellei. Pat. II, 50. *aliisque, qui voluerant abire ad Pompeium, sine dilatione dimissis.* Ceterum vid. Annotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 65. sq. Neque tamen huic coniecturae quidquam tribuo. Tantum autem abest, ut ex Gronoviorum sententia vel *et feriae*, vel *et statim* scribendum esse existimem, ut vocabulum *Latinae*, quod librarius, quum ad nomen *L. Anicii*, pro quo *lanici* in codice legitur, per errorem recurrisset, hic temere posuisse videtur, de medio tollendum censeam. — in ante quartum et tertium et pridie Idus Novembres] Cod. *in ante IIII. et III. et prid. nov.*, vocabulo *id.* sive *Idus* a *prid.* intercepto. Alibi librarius ex more vulgari *ad* pro *ante diem* posuit: hic vocabulum *diem* vel *dies*, quod XLIII, 15. addidit, omisisse videtur. Recte igitur Sigonius *in ante d.*, id est *diem* vel *dies*, et Gronovius *in ante dies* scribendum censuerunt. — nondum missos] Ex Drakenborchii emendatione in minore Livii editione *dimissos* scripsi, quod Bekkerus quoque recepit. Primam huius vocabuli syllabam praecedens *nondum* abstulit. — Agesipolim] Cod. et Frob. 1. *agepolim*, quod iam Rupertius recte restituit. *BC. B.* Vulgatum Gronovio debetur. Cf. Schweighaeuser. ad Polyb. XXIX, 7, 3. Tom. VII. p. 660. — Fortunam perbene fecisse — opportunitatem dedisset] Hic locus in codice ita legitur: *fortunam per beneficiis sequendo finito aliter bello sequendo aliter gratulandi sibi de uictoria egregiae romanos opportunitatem dedisset.* Grynaeus tamen, si quid video, omnia recte emendavit. Cur igitur Bekkerus vocabulo *quando* pro *quandoquidem* posito lacunae notam subiecerit, me non intelligere fateor. — audirent] Immo *audierint*, quod auctore Gronovio recepi. *BC. B.*

Cap. IV. sestertii decies] Cod. et Frob. 1. *sestertium deciens,* cui Gronovius vulgatum substituit. Non ignoro, Tacitum Annal. II, 37. aliosque scriptores post Ciceronis aetatem ita locutos esse. Infra tamen cap. 40. ubi vocabulum *sestertium*,

pro quo Frob. 1. notam *HS* offert, in codice omissum est, et cap. 43. ubi pro *sestertium ducenties* in codice *HS* cc et in Frob. 1. *HS ducenties* legitur, Gronovius nihil mutavit. Propterea hic quoque a codicis scriptura non discedendum videtur. Cf. Garaton. ad Cic. Philipp. II, 16. Tom. I. p. 287. ed. Wernsdorf. — quum literas ab rege Perseo per ignobiles tres legatos cerneret] Cod. *litterae*, vocula *cum* omissa. Crevierius ad verba: *quum literas ab rege Perseo*, haec annotavit: „Subiicit Muretus *missas*: quae vox necessaria videtur, vel *allatas*.“ Equidem putaverim, *allatas* a vocabulo *legatos*, quod sequitur, interceptum esse. — contendente] Cod. *cletendente*, literis *cle* inductis, id quod Grynaeum fugit. Librarius enim, quum ad vocabulum *clementiam* recurrisset, ipse significavit, *tendente* esse legendum. *BC. B.* Sic Livius saepissime loquitur, veluti X, 24. *se tendere nihil ultra, quam ut, si se dignum provincia ducerent, in eam mitterent.*

Cap. V. ut sibi paucis adloquendi populi potestatem facerent] Cod. *ut sibi*... ....*dloquendi* etc. Haec in codice reperiri, Kopitarius per literas mihi significavit. Grynaeus igitur vocabulum *paucis* supplevit. — pollutam homicida sanguine regis Eumenis violavit] Cod. *polui eam*, quod in *pollui eam* mutatum cum verbo *sinetis* coniungendum esse apparet. Propterea codicis auctoritati obsecutus edidi: *pollui eam homicida*, lacunae signo his verbis apposito. *BC. B.* Quam lacunam ita expleri posse putabam, ut L. Atilii verba in hunc maxime ordinem redigantur: *Cur igitur pollui eam ab homicida, qui Delphos sanguine regis Eumenis violavit, et, quum omnis praefatio sacrorum eos, quibus non sint purae manus, sacris arceat, vos penetralia vestra contaminari cruento latronis corpore sinetis?* Huic coniecturae favent, ut opinor, non solum ea, quae XLII, 15. et 16. narrantur, sed etiam ea, quae hic proxime sequuntur: *Nobilis fama erat apud omnes Graeciae civitates Eumenis regis per Euandrum Delphis prope perpetrata caedes*, atque similiter in extremo capite duo sanctissima in terris templa *sanguine humano violata* dicuntur. Weissenbornius contra Lectt. Liv. Part. I. p. 26. „Neque, inquit, XLV, 5, 4. necessarium puto V. D. additamentum, Melet. Spec. I. p. 26. propositum: *ab homicida, qui Delphos sanguine regis Eumenis violavit.* Sed cum aptius Atilius scelus illud magis significet, quam diserte declaret, neque Livius, quod Atilius iam dixerat, explicasset, Atilius autem rhetorice rem augens homicidam tanquam adspersum adhuc regis sanguine templum intrasse fingat, sicut paullo post dicit: *cruento latronis corpore*, locum ita legendum puto: *cur igitur — pollui eam homicida, regis Eumenis sanguine violari; et cum — arceat, vos penetralia vestra contaminari — sinetis?* Ita *violavit* in *violari* mutato nullum superest lacunae vestigium; neque opus est *ab homicida* cum Kreyssigio scribere, quod non auctor, sed causa: quod erat homicida, indicatur, ut paullo post: *cruento corpore*, cf. Roth. Excurs. XV. ad Tac. Agr.“ Aptius saltem, si meam admiseris coniecturam, singula orationis membra inter se cohaerebunt, neque opus erit a codicis scriptura ita discedere, ut *violavit*

in *violari* mutes. — evocato Euandro] Drakenborchius recte maluit *sevocato*, quod recepi. *BC. B.* — reliqui quid esset] Recte Sigonius et Gronovius *esset* in *esse* mutarunt. *BC. B.* Librarius alibi quoque alterum pro altero posuit. — subiit] Cod. *subit*, quod Bekkerus illi substituit.

Cap. VI. dum pecunia deferretur] Cod. *dum pecunia deferetur.* Vulgatum ferri non potest. Crevierius ad haec verba offendens: „Imo, inquit, postquam pecunia delata est.“ Doeringius, quem secutus sum, *dum* in *cum* mutavit. *BC.* Bekkerus autem, quum pro *iam tum* in codice *tantum* legatur, edidit: *Oroandes tantum dum pecunia deferretur*, lacunae signo his verbis apposito. Et recte quidem. Apparet enim, vocabulum *moratus* intercidisse. Sic. Liv. XXVII, 42. *tantumque ibi moratus, dum milites ad praedam discurrunt,* XXXVII, 12. *tantum moratus, dum Eumenes cum classe assequeretur*, et XLII, 38. *paucos ibi morati dies, dum in praetoris mortui locum alius sufficeretur.* — Ion Thessalonicensis] Librarius nomen *Ion* cum vocabulo *regios*, quod praecedit, ita coniunxit, ut perperam *regressione* scriberet. — maximum natu e filiis] Cod. *maximum natum et filiis.* Propterea in altera Livii editione *ex filiis* scripsi. Vid. quae ad XLIV, 42. annotavi. — quorum in templo erant] Cod. *quorum templo erant nullo templo*, verbis *nulla ope*, quae sequuntur, non omissis, Frob. 1. *quorum templo erant*, omissa praepositione, quam Vascosanus addidit. Rectius Gronovius, quem iam Lallemandus secutus est, scribendum censuit: *quorum templum erat. BC. B.* — in potestate eum esse] Benedictus Observatt. Liv. p. 9. maluit: *in potestate eius esse.* Atque in literis illis, quae infra cap. 13. ex Macedonia allatae dicuntur, scriptum erat: *Persea regem in potestatem consulis venisse.* Sed Liv. IX, 38. castella *aut deleta hostiliter, aut integra in potestatem venisse* dicuntur, atque XLII, 47. de Perseo legitur: *ne, praesidio eo, misso, caput Thessaliae in potestate haberet*, et paullo post: *ut in potestate Boeotia esset*, itemque XLIV, 31. de Gentio: *postremo ad preces lacrimasque effusus, genibus praetoris accidens, in potestatem sese dedit.* Nihil igitur mutandum.

Cap. VII. tunc quoque accessio Punici belli fuerat] Cod. *tunc quod nec sua accessio punici belli fuerat*, verbis *nec sua* inductis. Büttnerus Observatt. Liv. p. 110. hunc in modum nugatur: „En Livius ipse lapsus est in collocanda vocula *quoque*. Scribendum erat *tunc accessio quoque*: non enim alias quoque Punici belli Syphax accessio erat. Codices (?) haud variant: neque adeo librario obtrudenda videtur transpositio vocis.“ Revicta rebus crimina, ut ait Livius, verbis confutare nihil attinet. Nemo enim non videt, librarium, quum ad verba: *praeterquam quod nec sua*, per errorem recurrisset, non solum *nec sua*, sed etiam *quod* a Grynaeo perperam in *quoque* mutatum punctis superimpositis inducere debuisse. Itaque molestum illud *quoque* de medio sustulimus. *BC. B.* — Pullo amictus illo Perseus ingressus est castra] Hic locus Iacobsio, ut alias aliorum coniecturas omit-

tum; in Notis in Livii Lib. XXXIII. p. 387. ob similitudinem syllabarum sese excipientium depravatus atque ita corrigendus videtur, ut *Pullo amictus cucullo* scribatur. Atque ego quoque hunc locum lacuna deformatum, sed multo magis corruptum esse existimo. Quum enim in codice saepius vel singula, vel plura vocabula per inexplicabilem librarii errorem interciderint, idem hic quoque accidisse, totumque locum ita supplendum esse suspicor: *Pullo amictus, promissa barba et capillo, Perseus ingressus est castra,* etc. Similiter Liv. II, 23. *Ad hoc promissa barba et capilli efferaverant speciem oris,* et, qui locus ad hunc, de quo agimus, proxime accedit, XLIV, 19. *Sordidati, barba et capillo promisso, cum ramis oleae ingressi curiam, procubuerunt.* Praeterea cf. Liv. VI, 16. et XXVII, 34. Atque hanc ipsam ob causam vocabulis *amictus* et *illo* in altera Livii editione lacunae signum interposui. — donec consul lictores misisset, qui submovendo iter ad praetorium facerent] Cod. *donec a consule lictores misissent qui summoto iter ad praetorium facerent.* Scriptura codicis, id quod Grynaeum non vidisse miror ac paene indignor, sincera est et integra, dummodo *misissent* in *missi essent* mutetur. *B.* Librarios saepius ita peccasse, ut duo vocabula in unum coalescere paterentur, in Annotatt. ad Sallustii Lib. III. Fragmenta p. 81. et Epist. ad Orell. p. 30. docui, et id ipsum, quod hic sustuli, vitium etiam Liv. Epit. XXXVIII. reperitur, ubi vid. quae Drakenborchius annotavit. Baumgarten-Crusius quoque hanc emendationem probavit, sed mihi *submoto* pro *submovendo* scribenti, quum illud merum longioris formae compendium ipsi videretur, non paruit. Utinam paruisset. Scito enim, Romanos, id quod ex Liv. XXV, 3. ubi Bekkerus, praepositione *in* omissa, recte edidit: *per vacuum summoto locum cuneo irruperunt,* et XXVIII, 27. ubi *summoto incesserunt* legitur, atque Gronovii et Drakenborchii annotationibus ad hos locos intelligitur, *summoto incedere* breviter dixisse pro *populo per viatores aut lictores summoto incedere:* quod, quum verbum *summovere* de utroque apparitorum genere proprium esse constet, nemo mirabitur. Alia huc pertinentia infra ad cap. 29. dabimus. — nec adtingere genua passus] Cod. *negat ingenua passus,* quae Grynaeus, verbo *attingere* ex coniectura restituto, optime emendavit. — considere iussit] Cod. *considere aduersus sit,* vocabulo *adversus* ex praecedentibus repetito et verbo *iussit* in *sit* corrupto.

Cap. VIII. percontatio] Scripsi *percunctatio,* ut alibi, quod Kritzio ad Sallust. Cat. cap. 40. minus probatur. — vim bello] Ex Drakenborchii coniectura in minore Livii editione *et vim in bello, et fidem in pace,* scribendum esse putavi. — populorum] Huic in altera Livii editione, addita, quae desideratur, copula, *et populorum* substitui. — Haec Graeco sermone Perseo] Cod. *haec graeco sermone seu casu per sex.* Librarius miro sane errore lapsus *seu casu* ex verbis: *sive errore humano, seu casu,* quae praecedunt, temere repetiit. — quid vesper ferat] Cod. *quid uespes ferat.* Bekkerus vocabulo *vesper* lacunae signum apposuit, quasi *serus* sit adden-

dum propterea, quod Varro unam Satirarum inscripsit: *Nescis, quid vesper serus vehat,* pro quo Livius XXXIX, 26. dixit: *Nondum omnium dierum sol occidit.* — nec prospera] Cod. *neq. prospere.* Propterea *nec* in *neque* mutavi. *BC. B.* Vid. quae ad XLI, 19. et XLIV, 22. annotavi.

Cap. IX. Macedonum] Benedictus Observatt. Liv. p. 9. improbata Sigonii verbis *filium fuit* vocabulum *potentia* interponentis coniectura, non dubitat, Livium pro *Macedonum* scripsisse *Macedoniae.* Sed huic quoque nomini ea, quae sequuntur, non satis conveniunt. Quid igitur, si scribamus: *Macedonum regnum*, quorum hoc ab illo, ut XLIV, 1. ex certissima Grynaei coniectura a praecedenti vocabulo *partum,* facile potuit absorberi, et infra *amplexa,* quod pariter ac *suae ditionis fecit* ad *famam* Macedonum referri non potest, in *amplexū* sive *amplexum* mutemus? Quo facto, verba *obscura fama* non primo, sed sexto casu posita esse, statuas necesse est. De crebra literarum *a* et *u* permutatione vid. Heraei Studia critica in Mediceos Taciti codices p. 87. sq. — terrarum ultimus finis] Iam Lallemandus ex Gronovii coniectura, qua nihil certius, *terrarum ultimos fines* edidit. *BC. B.* — lacerantes viribus] Gronovius maluit *laceratis viribus,* quod Doeringio, licet infra cap. 19. similiter *distractis viribus* legatur, recte displicuisse videtur. Scripsi igitur: *lacerantes suis viribus*, quum vocabulum *suis* facile potuerit intercidere. *BC.* Per eundem librarii errorem XLIV, 39. pro *saepta ac crebris* in codice *saepta crebris* legitur.

Cap. X. Victoriae] Huic vocabulo, pro quo librarius *uictoria* scripsit, et praecedenti verbo *stetit* literae *urbg* in codice sunt interpositae. Quae quid sibi velint, non dispicio. Librarium hic quoque *stetitur* pro *stetit* posuisse, a vero non abhorrere videtur. Cf. quae supra ad cap. 3. annotavi. — Cassandriam] Idem in codice et Frob. 1. legitur. Nihilo minus tamen hic quoque *Cassandream* scripsi. *BC. B.* — eo quoque] Vocabulum *quoque* typographi, opinor, negligentia in Bekkeri editione est omissum. — universi senatus] Cod. *uniuersi senati.* Erroris originem a vocabulo *universi* repetendam esse apparet. Vid. Reisigii Gramm. Lat. p. 125. ibique Haasii not. 131. — si tamen populo foret] Ex certissima Perizonii et Iac. Gronovii coniectura *si ea mens populo foret* reponere non dubitavi. *BC. B.* — quod multitudinis noxam elevabat] Cod. *quod multitudinem noxa leuabant.* Haec quoque, dummodo *levabant* in *levabat* mutetur, integerrima esse, Grynaeus non vidit. *BC. B.* Decimius enim, qui *culpam non penes populum, sed penes paucos concitores vulgi esse* dixerat, non *elevabat* sive minuebat multitudinis noxam, sed multitudinem noxa *levabat* sive liberabat. — nequaquam tamen] Recte Doeringius particulam *tamen,* vocabulis *nequaquam* et *tam* a librario temere interpositam, eiiciendam censuit. *BC. B.* — capitis] Cod. *facilis capitis.* Mirae sane scripturae originem explicare non possum. — — Alexandriam] Cod. *alexandream.* Hanc nominis formam hic pariter ac cap. 11. et 12. codicis auctoritatem secutus restitui. *BC. B.*

Cap. XI. Antiochus frustra tentatis moenibus Alexandriae abscesserat] Cod. *anthiocus frustra temptatis moenibus alexander excesserat.* His Bekkerus ex Gronovii coniectura substituit: *Antiochus frustra tentatis moenibus Alexandrea abscesserat.* Nec displicet. — ut, quum vellet, rursus exercitum induceret] Cod. *ut cum uelit rursus me exercitum induceret.* Quid *me* sibi velit, me ignorare fateor. — cederet] Bekkerus probabili admodum coniectura ductus *cederetur* scripsit.

Cap. XII. Leusinem] Cod. *leunsinem.* Turnebus et Valesius recte scripserunt *Eleusinem*, quod iam Lallemandus recepit. *BC. B.* — scriptum] Hoc ex *SC.* vel potius *SCtum*, id est *senatus consultum*, esse subortum, Ursinus ad Polyb. XXIX, 11. verissime suspicatus est. *BC. B.* Valerius Max. VI, 4, 3. *tabellas senatus consultum continentes* dixit. — inter quos vixdum convenerat, pars Cyprum navigant] Ex certissima Perizonii emendatione iam Lallemandus et Rupertius ediderunt: *inter quos vixdum convenerat pax, Cyprum navigant*, quod et ipse recepi. *BC. B.* Supra cap. 11. Ptolemaeus per legatos pacem cum fratre et sorore confirmasse dicitur. — eum ius dicere] Cod. *eum dum ius dicere.* Hoc recepi, *dum* in *tum* mutato. Recte secusne, aliorum existimatio est. Nunc voculam *dum* nescio quo casu illatam delere malim.

Cap. XIII. quae senatui placuisset] Cod. *senatuique placuisset*, quod Bekkerus recte in *senatui quae placuisset* mutasse videtur. Sic supra cap. 12. *redde responsum, senatui quod referam.* — Gratulati deinde victoriam sunt] Cod. *legati deinde uictoria sunt.* Haec Grynaeus, quum vocabula *legati* et *legatorum*, quae praecedunt, librarium conturbasse videantur, probabiliter emendavit; nisi malis: *Gratulati dein de* vel *deinde de victoria sunt.* Sic infra: *communis legatio de victoria gratulatum venit.* — ad quam summa ope, si quid imperatum foret, adfuturum regem fuisse] Cod. *quam ope*, omissis vocabulis *ad* et *summa*, quorum illud Grynaeus, hoc Sigonius addidit. Sigonio assentior, Grynaeo non item. Nam *adesse ad pacem* pro *pacem adiuvare* dici non potest. Quemadmodum igitur Livius XLII, 45. *bellum adiuvare* dixit, ita hic quoque haud dubie scripsit: *quam summa ope, si quid imperatum foret, adiuturum fuisse. B.* Huius autem emendationis, uti facillimae, ita certissimae auctorem habeo locupletissimum, Livium dico, qui infra cap. 19. scripsit: *gratulatio, conveniens in ea victoria, quam ipse adiuvisset.* Baumgarten-Crusium eam neglexisse miror. — Macedonia] Immo *e Macedonia*, quod Gronovius suasit et Drakenborchius probavit. *BC. B.* — a triumviris] Cod. *ab utrumviris*, quod pro *ab triumviris* positum esse apparet. *BC. B.* Similiter infra cap. 38. pro *debetur triumphus* in codice *debetur utrum* legitur. — navem egresso] Cod. *naue egresso.* Hic quoque a codicis scriptura non discedendum erat. *BC. B.* Caes. B. G. IV, 21. *navi egredi* legitur. Neque tamen opus est, ut *nave* in *navi* mutetur. Vid. Drakenborch. ad Liv. XXV, 30, 7. — Is adolescens ita locutus est] Pronomen *is* in

adverbium *ibi* mutandum esse videtur. Idem, nisi fallor, placuit Weissenbornio, qui Lectt. Liv. Part. II. p. 14. not. 9. de vocabulo *ibi:* „Eadem vox, inquit, Livio reddenda esse videtur XLIV, 13, 3. ubi oratio melius procedet, si pro *is iuvenis* scripseris: *ibi iuvenis.*" Weissenbornius enim haud dubie *XLV*, 13, 13. et *adolescens* pro *XLIV*, 13, 3. et *iuvenis* scribere volebat. — misisset. Sed duas res ei rubori fuisse] Cod. et Frob. 1. *misit sed,* deinde cod. *ruboris.* Nonnihil ambigo, utrum librarius *misisset* in *misit sed* corruperit, an Gronovius recte *misit* in *misisset* mutaverit et *sed* retinuerit. Sic XLI, 10. *ingessit sed* pro *ingessisset,* et cap. 22. contrario librarii errore *praebuisset* pro *praebuit, sed* in codice legitur. Praeterea cf. Tacit. Annal. XIV, 55. *rubori mihi est.* — Masinissam meminisse] Non opus est, ut *meminisse, se* scribas. Vid. Walch. ad Tacit. Agr. cap. 27. p. 319. sq.

Cap. XIV. et illum, favente populo Romano, regnum adeptum] Cod. *et illum fauente regnū p̄r. adeptum,* idemque in Frob. 1. et 2. legitur. Qui primus verborum ordinem recte mutaverit, Drakenborchius annotare neglexit. In ed. Amstelod. a. 1633. vulgatum reperitur. — aequitate sua] Cod. *aequitatis iis.* Hic locus, quum *excitatis* pro *aequitatis iis* scribendum esse, nimis audacter coniecerim, nondum persanatus est. Weissenbornius Lectt. Liv. Part. I. p. 23. not. 8. *aequatis iis* legendum esse censuit, et Gronovium ad Liv. X, 19, 18. atque praeterea Iustin. V, 2, 12. et XLIII, 1, 4. conferri iussit. Vereor, ut recte hoc fecerit. — omnibus functum officiis] Cod. *omnibus eum fructum officii.* Ex his pronomen *eum* Livio restitui. *BC. B.* — cum rebus Romanis inmiscuisset] Doeringius maluit *commiscuisset.* Nobis aut vocula *cum* delenda, aut *miscuisset* pro *immiscuisset* scribendum videtur. Hoc equidem praetulerim. De Masinissae consiliis in omnem fortunam dispositis cf. quae Liv. XLII, 29. leguntur.

Cap. XV. ex senatusconsulto esset] Cod. *ex senatu esset.* Disiunctis, quae in continua codicis scriptura perperam coniunctae sunt, unius vocabuli syllabis et una tantum literula adiecta ineptum illud senatus consultum ita abolevi, ut scriberem: *ex se natus,* id est filius naturalis, quem ipsi genuissent, non privignus vel adoptivus. *BC. B.* Quam quidem emendationem Loesero quoque, nostro quondam contubernali, oblatam P. Scipionis verbis: *filium adoptivum tam procedere, quam si ex se natum habeat,* quae apud Gellium Noctt. Att. V, 19. leguntur, egregie confirmari, frater carissimus et iuris Romani peritissimus me admonuit. Gellii loco adde Plaut. Casin. Prolog. 45. sq. *Hera facit, educavit magna industria, Quasi si esset ex se nata, non multo secus,* et Tacit. Annal. XI, 21. ubi affertur Tiberii dicterium: *Curtius Rufus videtur mihi ex se natus,* pro quo in editionibus antiquis itidem *ex senatu* reperitur. Ceterum de iis, quae proxime sequuntur, vid. Weissenbornii Lectt. Liv. Part. II. p. 13. sq. ubi, una vocula addita, scribendum esse coniecit: *censendi ibi ius factum est,* ut haec sit totius loci sententia: libertinos, qui

praedia habuerint, ibi fuisse censos, ubi proximo lustro censi essent, et hoc modo e tribubus urbanis exemptos. — si tribu movere posset] Bekkerus ex Drakenborchii emendatione *posset* recte mutavit in *possit*, id est *etsi possit*. — a superioribus] Cod. *ad superioribus*, cui *ab superioribus* substitui. *B.* — senatu emoti sunt] Cod. *remoti*, quod in altera Livii editione praetuli. Nam Tacitus saltem Annal. XIII, 11. Plautium Lateranum dixit *ordine remotum*, cui Orellius *demotum* substituit. — tribu remoti] Ant. Perizonio obsecutus in eadem Livii editione *emoti* scripsi, quum paullo ante legatur: *omnibus quinque et triginta tribubus emovere*. Bekkerus utroque loco *moti* edidit, quod haud scio an alteri praestet. Ita enim Latini vulgo loquuntur. — anni et bimensis] Cod. *anni et bimensus*, quod, literis *V* et *B*, ut alibi, a librario permutatis, pro *ui mensum* sive *VI mensium* esse positum apparet. *BC. B.* Bekkerus tamen *sex mensum* scripsit. Vid. quae ad XLI, 25. et XLII, 36. annotavi. Lallemandus autem, licet Crevierius ad insolitum vocabulum *bimensis* recte offendens veram lectionem: *anni et sex mensium*, coniectura reperisset, *anni et semestris* edidit, quod nescio an a latina consuetudine abhorreat. — aedem in monte Albano] Cod. *ad emmō et albano*, syllaba *mō* in extremo versu posita. Quae quamvis corrupta sint, tamen probant, coll. XLII, 7. auctore Drakenborchio *aedem Monetae in monte Albano* scribendum esse. *BC. B.* Vides enim, verba *in monte*, quae Grynaeus in lacunosa codicis scriptura reperisse sibi videbatur, a nomine *Monetae* esse intercepta.

Cap. XVI. donec de sententia legatorum et res bello turbatas, et statum alium eius regni formando composuissent] Cod. *decet de sententia legatorum res et bello turbatas et statum alium ex regno formandas conposuissent.* Quae quidem verae scripturae vestigia ita secutus sum, ut hunc locum, vocula *in* inserta, sic restituerem: *donec de sententia legatorum res et bello turbatas, et in statum alium ex regno formandas composuissent. BC. B.* Baumgarten-Crusius tamen vulgatum: *et res bello turbatas*, perperam retinuit. Ceterum cf. quae infra cap. 26. et 29. leguntur. — cum binis legionibus peditum, et equitum quadringentenis] Cod. *cum binis peditum et equitum quadringentorum.* Haec Drakenborchium secutus ita composui: *cum binis legionibus quinum milium peditum, et equitum quadringenorum. BC. B.* — M. Iuventii Thalnae] Cod. *iuuenti talnae*, omissa praenominis nota, quae praecedenti vocabulo *urbana* in *urbanam* mutato adhaesit. Frob. 1. et 2. *M. Iuventii Talnae*, cui Sigonius *M'. Iuventii Thalnae* recte substituit. *B.* Drakenborchius, id quod Baumgarten-Crusium praeteriit, idem repositurus erat, si operae paruissent. — deorum Penatium] Cod. *deus penatium*, quod certa emendatione in *deum Penatium* mutavi. *BC. B.* De hac aede deum Penatium in Velia, quae Nerone imperante deflagravit, vid. Beckeri *Handbuch der Römischen Alterthümer*, Part. I. p. 247. sq. et quae Orellius ad Tacit. Annal. XV, 41. annotavit. — pluerat] Hoc in codice

et Frob. 1. legitur. Bekkerus, ut sibi constaret, *pluverat* scripsit. — e foco] Cod. *et foco*, cui *ex foco* substitui. *BC. B.* Vid. quae ad XLIV, 42. annotavi.

Cap. XVII. In Macedoniam sunt hi nominati] Cod. *in macedoniam culpmi nominati*, litera *p* inducta, ut *culmi* legeretur. Oedipo coniectore opus est. — ambo censorii] Cod. *ambo alii censorii.* Nihil quidquam novandum. — His consularibus] Cod. *is consularibus.* Recte igitur Bekkerus *his* in *iis* mutavit. — Tusciveicanus] Cod. *tuscìueicanus*, litera *e* puncto superimposito inducta, id quod Grynaeus non animadvertit. Ergo *Tuscivicanus* scribendum. *BC. B.* — agitata est summa consiliorum] Cod. *agit alte sunt summa consiliorum.* Locum maxime depravatum Grynaeus recte emendasse videtur.

Cap. XVIII. ubi publicanus est] Doeringium secutus *est* in *esset* mutavi. *BC. B.* Sic paullo post: *ubi in medio praeda administrantibus esset, ibi nunquam causas seditionum et certaminis defore.* Librarius, qui saepius *est* pro *esset* posuit, hunc ipsum errorem XLI, 16. ita correxit, ut *estset* scriberet, priore *t* litera puncto superimposito inducta. — a senatu] Cod. *ad senator*, quod in *ab senatu* mutavi. *BC. B.* — moderatione] Cod. atque Frob. 1. et 2. *moderationi.* Qui primus huic illud recte substituerit, Drakenborchius non annotavit.

Cap. XIX. ab his] Malim *ab iis.* — conveniens in ea victoria] In codice *eas* reperiri, Kopitarius in codicis collatione annotare neglexerat. — Advertaeque gladiis regnum in dubium adductum esse] Cod. *aduertaeque gladiis quae regnum in dubium adductum esset.* Walchius, quum iam Drakenborchius *gladiis* in *cladis* mutandum esse perspexisset, Emendatt. Liv. p. 268. *querimonia Gallici tumultus acceptaeque cladis: „regnum in dubium adductum esse,“* scribendum et e *querimonia* verbum *dicebat* assumendum censuit. Nam Walchium, id quod Büttnerus Observatt. Liv. p. 114. reprehendit, verba *suum prope* ex viri docti nescio cuius, quam affert, emendatione: *adversis cladibus regnum suum prope in dubium adductum esse*, suae temere inseruisse, facile intelligitur. Certior autem factus, in codice *quae regnum* et *esset* pro *esse* reperiri, iam in Epist. ad Goeller. p. 455. huius loci emendationem a Drakenborchio et Walchio inchoatam ita absolvi, ut *querimonia Gallici tumultus acceptaeque cladis, qua regnum in dubium adductum esset*, scribendum esse docerem. *BC. B.* Rem conficit Livius ipse, qui VIII, 1. *Setini*, inquit, *Norbanique Romam, nuntii defectionis Privernatium, cum querimoniis acceptae cladis venerunt.* Praeterea de re ipsa contulisse iuvabit, quae Polyb. XXX, 1. de Attali Romam adventu leguntur. — et huic tribuere, et illi vero negare] Cod. *et huic tribueret ille uero negare.* Ita hic locus, de cuius integritate ambigitur, in codice scriptus est. — velut frenos] Cod. *ueluti renos*, quod in *veluti frenos* mutavi. *B.* Utrum recte, an perperam, non interpretor. Nam literae *F* et *I* hic quoque permutari potuerunt, ut infra cap. 24. ubi librarius contrario, si *velut frenos*

recte habet, errore lapsus *infra* pro *in ira* scripsit. — insigne] Cod. *et si que.* Quae quomodo emendanda essent, Grynaeus acutissime perspexit, atque etiam paullo ante *rectiuit,* quod in codice legitur, recte mutavit in *restituit.* — quia aetate proximus] Cod. *quia aetate proximus si.* Hic quoque ut XLIII, 7. ubi vide quae hac de re diximus, *si* in *sit* mutavi, quod aegre desideratur. *BC. B.* Ceterum nescio an librarius, quum *aetate* sequatur, *quia* scripserit pro *qui,* id est *quippe qui.* Vid. Reisigii Gramm. Lat. p. 530. ibique Haasii not. 468. — Quid adtineret vim adferre] Gronovius maluit *quid attinere vim afferri,* pro quo *quid attineret vim afferri,* in Baumgarten-Crusii editione legitur. Nos *attinere* probavimus, *afferri* non item. *B.* — mox ad eum adventurae] Cod. *ad eum mox aduenturae.* Hoc verborum ordine servato pro *adventurae* ex Dukeri emendatione *venturae* scripsi. *BC. B.* Librarius ad voculam *ad* temere recurrit. — omnibus iniuriis obnoxios fore] Cod. *omnibus iniuriis pro obnoxios fore,* syllaba *pro* in extremo versu posita. Vocabulum *obnoxios* in causa fuit, cur librarius omitteret syllabas *brisque,* quas addidi. *BC. B.* Ant. Perizonius maluit *omnium iniuriis.* Non sequor. Infra cap. 20. similiter *omnibus honoribus muneribusque* legitur, et XLII, 14. *omnes ei honores habiti.* — an ultimum mori iussurum] Auctore Gronovio scripsi *ad ultimum,* id est *denique. BC. B.* Verba: *an exsulem illa aetate,* quae praecedunt, ut librarius peccaret, effecisse videntur. Aliter Livius paullo post: *si fidem ad ultimum fratri praestitisset.*

Cap. XX. gratulatus victoriam] Cod. *gratulatum uictoriam est,* omisso *et,* quod sequitur et facile intercidit, ut infra cap. 24. post verba *nostrum est.* Recte igitur, nisi fallor, Drakenborchius scribendum esse coniecit: *gratulatus victoriam est,* quae eodem verborum ordine, quem Livianum dixerim, etiam infra cap. 44. leguntur. Doeringius tamen vulgatum non male defendit et explicavit. — est auditus] Vide, ne hic exciderit *ita* ad praecedens *ut* referendum, quod a Gronovio damnatum Bekkerus delevit. — quod gratulantes decebat] Cod. *quod et gratulantis decebat,* Frob. 1. et 2. *quod et gratulanteis decebat.* Hoc, ut par erat, restitui. *BC. B.* Qui primus particulam *et* omiserit, Drakenborchius non annotavit. Iam vero facile caremus iis, quae Walchius Emendatt. Liv. p. 228. de hoc loco exposuit. — in iis servandum] Cod. *in isse seruandum.* Livius igitur, quum librarius saepissime *is* pro *iis* posuerit, *in iis esse servandum* scripsisse videtur. Similiter XLIV, 26. *satisse* pro *satis esse* in codice legitur. Neque tamen infitior, codicis scripturam ex *in is seruandum* oriri potuisse. — ut amicorum sociorum numero habendi sint] Vel *amicorum et sociorum,* vel *amicorum sociorumque* scribendum. Hoc praetuli cum Lallemando, qui, quum Drakenborchius testetur, virum doctum in margine ed. Curionis ita legendum coniecisse, hanc emendationem perperam Gronovio tribuit. *BC. B.* Alterum Doeringio et Rupertio placuit. Vid. Annotatt. ad Liv. XXXIII, 38. p. 97. — condemnarentur] Recte Crevierius et Drakenborchius maluerunt *condemna-*

rent, quod vulgato substitui. *BC. B.* Librarius enim hic quoque terminationem *ur* temere adiecit. Vid. quae supra ad cap. 3. annotavi.

Cap. XXI. deinde ad populum latum] Cod. *deinde patrum ad populum latum.* Nemo non videt, haec lacunosa esse et ita supplenda: *deinde ex auctoritate patrum ad populum latum,* ut Livius alibi loquitur. *BC. B.* Vid. quae infra ad cap. 35. annotavi. — ut, qui non professi essent] Cod. *uter qui* etc. Itaque facere non potui, quin ex certa, opinor, coniectura scriberem: *ut, et qui non professi essent* etc. *BC. B.* Sequitur enim: *et, qui ad intercedendum venissent, desisterent.* — ex ratione dissuadentium] Recte Gronovius, cui Doeringius temere adversatur, *ex oratione* legendum esse coniecit. *BC. B.* — intercedendo, *** in adventum im-] Cod. *intercedendo in aduentum im,* syllaba *im* in extremo versu posita.

Cap. XXII. *** peccaverimusne] Cod. *est peccauerimusne.* Verbum *est* recepi. *BC. B.* — deversorio] Cod. *diuorsorio,* Frob. 1. *diversorio,* quod in errorem emendabilem lapsus editioni Drakenborchianae tribui. — quieverunt] Cod. *qui fuerunt.* Librarii mendum ex literarum *E* et *F* similitudine ortum esse apparet. Vid. quae ad XLI, 2. annotavi. — alii interfecti] Weissenbornius Lectt. Liv. Part. II. p. 13. librarium nonnulla praetermisisse ratus: „Quorsum enim, inquit, infertur *alii?* quod ne ea vi quam Walchius illustravit p. 58. et Fabri ad XXI, 46, 9. accipiatur, hoc videtur obstare, quod reguli atque principes et ipsi socii erant populi Romani. Huc accedit, quod Romani cur Perseo bellum intulerint non solum interfectum (Rhodii enim augent rem oratoria amplificatione), sed etiam expulsum regulum causam prae se ferebant. Vid. XLII, 13, 6. *Abrupolim, socium atque amicum vestrum, regno expulit. Arthetaurum Illyrium — interfecit.* cf. ib. 40, 4. Qui loci cum hic respiciantur, videndum an expeditior reddatur sententia, si legatur: *alii eiecti* (vel *expulsi*), *alii interfecti reguli.*" Haud dubie praestat *alii eiecti,* quod, quum *alii interfecti* sequatur, a librario facilius potuit omitti.

Cap. XXIII. quae vestra nunc est fortuna deum benignitate] Cod. *qua uestra nunc est forum ad eum deū benignitate.* Kopitarius in codicis collatione perperam *fortunā deum deū* scripserat. Grynaeus hunc locum optime restituit. — ut ne ab utraque parte gratiam iniremus] Bekkerus suam coniecturam secutus edidit: *ut ne ab utra quidem parte gratiam iniremus.* Malim totum locum scribere hunc in modum: *ut ne ab altera quidem parte gratiam iniremus, ab altera etiam crimen et periculum esset.* — navalibus, armis] Immo *navibus,* quod Gronovius suasit et Bekkerus recepit. Librario enim verborum *an navalibus,* quae supra leguntur, memori hoc ipsum vocabulum hic quoque obversabatur. — sed a vobis prohibiti praestare fuimus] Probabilis admodum est coniectura a Madvigio Opp. Acad. Part. II. p. 221. de hoc loco proposita, „ubi, ut ipsa eius verba apponam, non *sumus* restituendum est, (manebit enim, qua non minus mendum arguitur, vitiosa verborum collocatio:

prohibiti praestare sumus), sed scribendum: *sed a vobis prohibiti praestare nequivimus.*" In codice vulgatum legitur, nisi quod librarius, qui ad verba: *defuimus officio*, quae praecedunt, respexisse videtur, non *prohibiti*, sed per errorem *prohibitio* scripsit. — Hinc iam non] Cod. *hinc iam nunc*. Auctore Drakenborchio *hinc* in *hic* mutavi. *BC. B.* Cf. Handii Tursellin. Vol. III. p. 81. — secessisse] Cod. *secessione*. Vide igitur, ne post vocabulum *plebem* verbum interciderit. — Non praeteribo id] Cód. *non uti non praeteriuo id*. Propterea: *Non utique praeteribo id*, scribendum existimavi. *BC.* Bekkerus autem vulgatum recte servavit. Librarius enim verba *ut in officio* repetiturus in medio conatu substitit et voculam *non* iteravit. — nec ob id quemquam fulmine ictum audimus] Cod. *nec eo c id*, litera *c* inducta. Malim igitur, vocabulis transpositis, *nec ideo* scribere. Vid. Handii Tursellin. Vol. III. p. 181. sq. Similiter infra cap. 34. pro *ne quid ad ea, quae fierent*, librarius scripsit: *ne quid ea adque fieret*. —

Cap. XXIV. obfensionem aurium] Cod. *offensione aurium*. Recte igitur Benedictus Observatt. Liv. p. 11. „Unius tantum, inquit, literae omissione, quae a librariis male sedulis saepe loco alieno adsuta reperitur, totum locum ita legere malim: *et verba tumidiora legati offensione aurium non perniciem civitatis meruerunt.*" *BC. B.* — si quis vellet inimicum perire] Cod. et Frob. 1. *si qui uellet*. Hoc revocavi. *BC. B.* Atque iam Drakenborchius Vascosano, qui primus illud edidit, recte adversatus est. — si nihil fecerit] Cod. et Frob. 1. *ut si nihil fecerit*, cui Gronovius, quum Vascosanus voculam *ut* recte delevisset, perperam *ut is, si nihil fecerit*, substituere maluit. Apparet enim, librarium ad antecedentia: *ut, si qui vellet* etc. recurrisse. — una dubia est, ut gravior sit] Cod. *una aut dubia est ut grauior sit*. Haec ita immutavi, ut scriberem: *una autem dubia est, ut gravior sit. BC.* Weissenbornius contra Lectt. Liv. Part. I. p. 22. maluit: *una autem dubia est, et ea gravior sit?* Propius tamen, nisi fallor, ad codicis scripturam accedit: *una, ut dubia est, et gravior sit?* Hoc nunc praetulerim. In annotatione Bekkeri, qui vulgatum servavit, *D* in *L* mutandum. — vos iudicate] Cod. *uos iudicatis*, quod Bekkerus vulgato recte praetulisse videtur. — est tamen et nostrum] Cod. *teste est enim et nostrum*. Non est, quod de Grynaei emendatione dubites. Est tamen aliquid talia corrigere. — quo nunquam iudicabimus] Cod. et Frob. 1. *quod nunquam iudicauimus*. Nam *quod* in codicis collatione omissum in ipso codice reperiri, Kopitarius mihi significavit. Vulgatum Gronovio debetur. Bekkerus *quod* ex Frob. 1. restituit.

Cap. XXV. quae agerentur, sciret] Sigonius *quae, quae agerentur, sciret*, Gronovius *qui, quae agerentur, scirent, certioresque suos facerent*, scribendum censuit. Hoc Bekkerus recepit: nos illud alteri praetulimus. *BC.* — In praesentia deducere] Lacunam in minore Livii editione ita explevi, ut scriberem: *In praesentia*

praesidia deducere etc. Iam Doeringius Drakenborchio, qui *praefectos* in *praesidia* vel *praesidiarios* mutandum esse coniecit, recte adversatus vocabulum *praesidia* vel *milites* excidisse suspicatus est. — nunciata, quae] Verborum interpunctionem recte mutavit Ernestius in Gloss. Liv. s. v. *nunciare*. — Theodotum] Immo *Theaetetum*, quod nomen Ursinus ex Polyb. XXX, 5. restituit. *BC. B.* — maior repulsis ignominia esset] Cod. *maiora pulsa is nomina esset.* Ex depravata codicis scriptura integriorem erui lectionem: *maior a repulsa ignominia esset. B.* Multo autem elegantius dicitur *ignominia a repulsa*, quam *repulsae ignominia*. Vid. Handii Tursellin. Vol. I. p. 32. sqq. Eo aegrius fero, lectionem a me restitutam a Baumgarten-Crusio rursus hunc in modum esse corruptam: *maior a repulsis ignominia esset*, quasi vulgatam, praepositione adiecta, ineptiorem reddidissem. — abscinderent] Cod. et Frob. 1. *absciderent*, quod iam ante Bekkerum in altera Livii editione restitui. Sic Livius alibi *spem incidere* et *spem praecidere* dixit. Cf. Fabri, qui mecum facit, ad Liv. XXIV, 30. — si cui opus esset] Cod. *si quod id opus esset.* Hic quoque ut XLIV, 34. dubia est et incerta codicis scriptura. Malui tamen vulgato *si quid opus esset* substituere. *BC.* Bekkerus *si quo opus esset* edidit. — Alabandenosque] Totus locus in codice scriptus est hunc in modum: *et mylassensis alabandenique qui alabandesium euroaemensium prouinciā ademptum ad ipsi coniunctos exercitu uenerunt*, ultima vocabuli *coniunctos* litera inducta. Vereor igitur, ut Bekkerus *Alabandenosque*, quae rarior sane nominis forma est, recte in *Alabandensesque* mutaverit.

Cap. XXVI. alia Romae geruntur] Cod. *alia romae in asia geruntur*. Verba *in Asia* primum vocabulo *ibi* in margine adscripta deinde in orationis contextum irrepsisse videntur. — cum reliquo exercitu] Cod. *reliquae exercitum*, omissa praepositione, quam Grynaeus addidit. Num recte, quaeritur. Vid. Annotatt. ad Sallust. Hist. Lib. III. Fragmenta p. 92. Neque tamen nego, voculam *cum* a nomine *inlyrico* sive *Illyrico*, quod praecedit, potuisse absorberi. — tota multitudine cum infulis obviam effusa] Cod. *tot omnium multitudinem cum in furiis obuiam effusa.* Vide igitur, num, quum *tot hominum multitudine* orationis contextus respuat, scribendum sit: *tota oppidanorum multitudine.* Sed hoc quoque displicet, quum *multitudo* alibi a Livio aliisque scriptoribus simpliciter pro *urbis incolis* sive *oppidanorum turba* ponatur. — hic praesidio inposito] Dukerus recte maluit: *hinc, praesidio imposito*, quod recepi. *BC. B.* — cuius omnibus oppidis] Frob. 2. *cuius oppidis*, vocabulo *omnibus* temere omisso. Drakenborchius tacet. — civitatis accessionem facitis] Cod. *ciuitates accessionem factis.* Gronovium igitur recte *civitatem* scribere maluisse, vel ex depravata codicis scriptura intelligitur. *BC. B.* — inruperunt] Cod. *ruperunt.* Perizonius *eruperunt*, quod Bekkerus recepit, scribendum esse, recte coniecisse videtur. Vocabulum *ibi*, quod paullo post sequitur, Kopitarius in codicis collatione omiserat. — vectigal dimidium eius, quod regi pendissent] Muretus *im-*

positum excidisse suspicatus est, et Sigonius *pependissent*, quod iam Lallemandus recepit, pro *pendissent* reponendum censuit. Utrumque admisi. *BC. B.* Sic infra quoque cap. 29. *tributum dimidium eius, quod pependissent regibus, pendere populo Romano*, et *vectigal exercentibus dimidium eius impositum, quod pependissent regi.* — hac formula dicta in Illyrico] Voculam *in*, licet hoc loco non *inlyrico*, ut alibi, sed *illyrico* in codice reperiatur, delendam censeo. Cf. quae infra cap. 30. extr. de Macedonia leguntur.

Cap. XXVII. Hoc et quod sequitur caput, subiecta scripturae discrepantia ex codice atque Frob. 1. et 2. diligenter enotata, edidi in Meletematum criticorum Spec. I. in quo locus Liv. XLV. cap. 27. et 28. de L. Aemilii Paulli itinere per Graeciam facto tractatur. Misenae, 1832. — Ad Aeniorum quoque hostiliter urbem diripiendam] Vocabulum *hostiliter*, quod Liv. XXXVI, 20. et XXXVII, 21. verbo *diripere* additur, hic a librario ex praecedentibus male repetitum esse, praepostera verborum collocatio arguit. *BC. B.* — circumeundam Graeciam] Cod. *ad circumeundam graeciam.* Hoc sane placet, et praepositionem in utraque Livii editione a me neglectam esse, nescio an mihi poenitendum sit: dummodo *ut statuit*, quod sequitur atque *circumire* et *visere* potius, quam *circumeundam* et *visenda* requirit, verborum structuram a participio *profectus* pendere patiatur. Quid igitur? Vide, ne librarius, ut alibi, gravius peccaverit, et pro *ut statuit* scribendum sit *ire statuit*, maxima his verbis interpunctione subiecta. Liv. XXVIII, 29. *ut iret ad oppugnandam patriam.* Malim tamen, id quod non diffiteor, orationem continuari. — Sic olim hariolabar. Nunc certum habeo, verba: *ut statuit*, ut XXXIII, 41. *ut instituerat*, mediae orationi interposita non prohibere, quo minus verba: *ad circumeundam Graeciam, visendaque* etc. cum vocabulo *profectus* coniungantur. — magis auribus] Cod. *maioram auribus*, quod, una tantum litera deleta, in *maiora auribus* mutatum recipere non dubitavi. *BC. B.* Quae coniectura ductus facili et certa vulgato substitui, non solum ad codicis scripturam ex *maiorā* ortam propius accedunt, sed etiam, quum fama res memorabiles ita in maius augere soleat, ut auribus accepta maiora esse videantur, quam oculis noscuntur, aptiorem huic loco sententiam continent. Similiter Livius XXI, 32. *quamquam fama*, inquit, *qua incerta in maius vero ferri solent, praecepta res erat*, de quo loco vid. quae Fabri annotavit. — templum Iovis Trophonii adit] Cf. egregia Goettlingii, qui et ipse illa loca adiit, Narratio de oraculo Trophonii. Ienae, 1843. Rossii *Griechische Königs-Reisen. Halle, 1848.* Vol. I. p. 36. sq. et Wieseleri libellus ita inscriptus: *Das Orakel des Trophonios. Göttingen, 1848.* in quo ea refutantur, quae in Urlichsii *Reisen und Forschungen in Griechenland*, Part. I. p. 170. sqq. leguntur. — ibi quum vidisset] In utraque Livii editione codicis collationem secutus *ubi* pro *ibi* reposui. *BC. B.* Postea tamen Kopitarius me docuit, non *ubi*, sed *ibi* in codice reperiri. Nihil igitur mutandum. — Hercynnaeque] Hoc in *Hercynaeque* mutavi. *BC.* Ita enim vel ad-

versante codice, quem Bekkerus cum ceteris Livii editoribus secutus est, scribendum existimavi nomen deae, quae a Graecis, ut videtur, non Ἑρχυννα, sed Ἕρχυνα appellata est. Vid. Pausan. IX, 39. Philostrat. in vita Apollon. Tyan. VIII, 19. Lycophr. Cassandr. v. 153. et quae Drakenborchius ad h. l. annotavit. — ad spectaculum Euripi* aevoque ante insulae] Gronovius post Florebellum, qui *Euboeaeque* in *aevoque* abiisse vidit, scribendum censuit: *Euripi Euboeaeque insulae*, quod recepi. *BC. B.* Postea tamen, ne vocabulum *ante* omitteretur, totum locum coll. Plin. Hist. Nat. IV, 12. et Liv. XXXIII, 17. ita supplendum esse putavi: *ad spectaculum Euripi Euboeaeque, ante paeninsulae, nunc insulae ponte continenti iunctae.* Ad haec Weissenbornius Lectt. Liv. Part. I. p. 26. „Quae quamvis, inquit, facile potuerint intercidere, tamen, quo minus V. D. adsentiar, plura prohibent. Nam si Livius diversa tempora comparat, utitur particulis: *tum* — *nunc*, cf. cap. 28, 5; sed quid sibi vult h. l. *nunc?* num Aemilii tempus significat? quod si voluisset noster, *tum* vel *tunc* scripsisset, neque *nunc*, ut vice versa, vim v. *tunc* potest habere. An suum ipsius tempus respicit? sed quid hoc ad Aemilii aetatem? nonne tum iam diu insula erat Euboea? Deinde Aemilium ad *spectaculum* Euripi Euboeaeque profectum Livius tradit; quonam autem modo quod tum non fuit, cuius ne vestigia quidem conspicerentur, spectaculum potuit praebere? Itaque cum audacius Bekkerus *ante* omittere, durius Heusingerus *arte* legi velit, nihil, quod propius ad codicem accedat, invenire potui, quam: *Euboeaeque, tantae insulae;*" cui coniecturae, ut hoc addam, Liv. XXXV, 51. coll. XXI, 30. favere videtur. Praeterea Weissenbornio et ea, quae de particula *nunc* dixit, ita concedo, ut, quum coll. Liv. XXXIII, 17. cui loco addas velim, quae apud Plin. Hist. Nat. V, 19. de Tyro quondam insula leguntur, minus recte *nunc* scripserim, eius loco *tum* vel *tunc*, quorum illud Liv. XXII, 22. XXIV, 32. et XLV, 4. hoc autem Liv. XXX, 34. praecedenti *ante* respondet, reponendum fuisse censeam. — Aulidem traiicit] Cod. *aulidem erat traicit.* Nondum me poenitet coniecturae, qua ductus edidi: *Aulidem rate traiicit. BC. B.* Fac enim, olim *aulidē rate traicit* scriptum fuisse, et intelliges, qui factum sit, ut hoc in *aulidem erat traicit* abiret. Cf. Liv. XXI, 56. et Iustin. II, 13. Neque emendationi nostrae obstare videntur ea, quae Liv. XXVIII, 6. de reciprocis Euripi motibus leguntur. Vid. Tzschuck. ad Pomp. Mel. II, 7, 9. Vol. III. Part. II. p. 686. sqq. Weissenbornius contra, hac quoque coniectura improbata, Lectt. Liv. Part. I. p. 25. „Aliud, inquit, mihi videtur latere. Saepius librarios *F* literam et *E* commutare notum est, cf. XLI, 1. XXVI, 11; item *t*, proxima voce ab hac litera incipiente, saepius praecedenti adhaesisse; deinde Euripus saepius apud Livium *fretum* appellatur, cf. XXVIII, 7. XXXI, 23. etc. Itaque non dubito, quin locus ita sit refingendus: *a Chalcide Aulidem freto traiicit*, cf. XXVII, 2, 16. *freto traiiceret*, XXXV, 48. *traiici Hellesponto*, c. 51. XXXVIII, 12, 18. XXXVII, 14. [add. XXII, 31.] Ponte enim ut Philippus

XXXI, 24. videtur transisse, iam freto redit." Hoc autem ita nego et pernego, ut, si nullus hic coniecturae locus fuerit, Livium neque *rate*, neque *freto*, quod a codicis scriptura, praesertim si ultimam verbi *erat* literam, id quod Weissenbornium dixisse miror, ex sequenti *traicit* illi adhaesisse putaveris, longissime recedit, verbo *traiicit* addidisse, sed librarium vocabulis *aulidē* et *traicit* verbum *erat* per errorem interposuisse, nec postea induxisse existimem. — Dianaeque templum] Haec Drakenborchius ita explicat: „*traiicit Aulidem Dianaeque templum*, pro *et ad Dianae templum*;" Doeringius autem hoc modo: „*Dianaeque templum*, repete *traiicit* et inde elice *adit*." Quae quam contorta sint atque impedita, nemo non intelligit. Multo facilius, opinor, atque expeditius hunc locum explicabis, si mecum scripseris: *Dianaeque templo*, sc. *inclitum. BC. B.* Sic infra cap. 28. *inde haud parem opibus Epidaurum, sed inclitam Aesculapii nobili templo.* Praeterea supra cap. 6. pro *quorum templum erat* contrario librarii errore *quorum templo erant* in codice reperiri vidimus. Adversus haec Weissenbornius Lectt. Liv. Part. II. p. 2. sq. „Mihi vero, inquit, codicis scriptura quo se defendat multum videtur habere. Nam navium quidem statione portus inclitus esse potest, neque vero templo, quo ipsa urbs nobilitatur. Neque hoc Livius dicit, portum, quod et statione navium et templo memorabilis esset, consulem adiisse, sed et portum et templum spectasse eum tradit, portum, quod inclitus esset navium statione, templum, propter celebratum illud Agamemnonis sacrificium. Quae quidem loci ratio recepta, quae recentioribus placuit, coniectura magnopere perturbatur. Quod tamen Kreyssigius vel non recte vel non nisi contorte vulgatam explicari posse censet, vereor ut meminerit haud raro cum alios scriptores tum Livium illam verborum conformationem quam ἀπὸ κοινοῦ appellant admisisse. Sic locum simillimum XLII, 49. extr.: *cum iis consul Brundisium ad exercitum, atque inde cum omnibus copiis transvectus ad Nymphaeum — posuit castra*, nemo sollicitavit praeter Drakenborchium; idque eo mirabilius videtur, quod alios eiusmodi locos egregie explicavit, veluti illum, qui immerito a Kreyssigio immutatus est, XXXI, 46, 10: *et pondere ingenti saxa iaciebant, et cuniculos* etc. cf. Duker. ad I, 33, 6. Drak. ad III, 67, 13. Walch. Emend. Livv. p. 229. Cic. Disputatt. Tuscul. I, 40, 97: *vadit in eundem carcerem atque in eundem paucis post annis scyphum Socrates*; ib. III, 31, 76. Vid. Klotz. ad h. l. et Otto ad Cic. de Fin. II, 3, 6. Itaque non dubito, quin Livius, cum *templum* scriberet, ita sit locutus, ac si ante vel *adit* vel *petit* dixisset; aut, quae Doeringii est sententia, quam cur adeo contortam esse Kreyssigius credat, ego non perspicio, tale aliquod vocabulum ex antecedentibus intelligi voluerit." Haec aliis diiudicanda relinquo. — vates Amphilochus] Cod. *uates anticum*. Nihil profecto certius est, quam librarium, qui hanc scribendi rationem constanter sequitur, illa pro *vates anticus* sive *antiquus* posuisse. Qui factum sit, ut Grynaeus hoc non videret, nemo facile dixerit. Baumgarten-Crusius nostram probavit emendationem, sed

eamdem ita corrupit, ut, utraque lectione coniuncta, scriberet: *ubi pro deo vates antiquus Amphilochus colitur.* Hoc sane mirari subit. Multo magis autem miror, Bekkerum, qui codicis collationem in promptu haberet, mihi non esse obsecutum, et adversante codice edidisse: *ubi pro deo vates Amphiaraus colitur*, quod aeque ac vulgatum nullo pacto admitti potest. Nihil enim attinebat addere nomen vatis ex fabulis notum, et ab Ovidio quoque Metamorph. IX, 406. sq. in oraculo Themidis omissum.

Cap. XXVIII. inter omnia] Ex Gronovii emendatione, a Crevierio probata, *intra moenia* scripsi. *BC. B.* — memorabilem] Cod. *memorabilem ac silentium.* Urbis nomen in iis, quae in codice adduntur, latere suspicatus verba: *ac Palantium* sive *Pallantium* adieci. *BC. B.* Etenim Plinius Hist. Nat. IV, 6. Pallantium sive Pallanteum, urbem Arcadicam, de qua interpretes ad Liv. I, 5. atque Rossii *Griechische Königs-Reisen*, Vol. I. p. 223. sq. velim conferas, et Megalopolim, itidem in Arcadia sitam, eodem ordine recenset, quem L. Aemilius Paullus in Graecia peragranda secutus est. Ceterum haec verba non a librariis, ut Baumgarten-Crusius perhibet, sed a Grynaeo sunt omissa. — adscendit] Cod. *escendit*, quod hic quoque praetuli. *BC. B.* — revertit] A Drakenborchio admonitus ex constanti bonorum scriptorum usu vulgatum in *revertitur* mutavi. *BC. B.* Cf. de re notissima Reisigii Gramm. Lat. p. 249. ibique Haasii not. 290. — missos a Baebio praeside] Cod. *praesidi.* Ad hunc locum iam Dukerus recte offenderat. Propterea *praesidi*, ut XLIII, 18. et alibi, pro *praesidii* positum esse ratus haec plenius edidi: *missos a Baebio, praefecto praesidii. BC. B.* Neque est, cur huius supplementi me poeniteat. Postea non solum vocabulum *praefecto*, sed etiam praenomen Baebii, quod Livius infra cap. 31. addidit, librarii culpa intercidisse, et *ab a. baebio*, id est *ab A. Baebio*, in *a baebio* abiisse suspicatus sum. — possidere, qui arguebant. Iussis Amphipolim adesse] Cod. *possidere iussis qui arguebantur ampipolim adesse.* Rectius ex Dukeri sententia scripsi: *Amphipoli adesse. BC. B.* Locus tamen nondum persanatus est. Grynaeus enim librarium hic quoque, ut XLII, 27. ubi *brundisi adesse hac classe iuberet* pro *Brundisii adesse iuberet. Hac classe* etc. in codice legitur, verba perperam transposuisse opinatus hunc locum eo, quo supra posuimus, ordine edidit. Quum autem, si Grynaei rationem sequaris, pro *qui arguebant*, sive haec verba ad Aetolos, Lycisci et Tisippi accusatores, cum Crevierio, Doeringio et Rupertio ineptissime referas, sive ad Lyciscum et Tisippum, senatorum accusatores, quos multo, quam illos, probabilius est bona eorum, qui interfecti essent, et exsulum possedisse, rectius referri, cum Heusingero statuas, *qui arguerent* ponendum esse videatur, servato verborum ordine, non tam *qui arguebant*, quod et ipse olim ad Aetolos rem ad Aemilium deferentes pertinere opinabar, quam *qui arguebantur*, quod non solum ad Lyciscum et Tisippum, sed etiam ad Baebium referendum esse apparet, scribendum, totumque locum, una tantum literula mutata, hoc modo consti-

tuendum esse arbitror: *bonaque eorum, qui interfecti essent, et exsulum possideri*, sc. ab Lycisco et Tisippo. *Iussis, qui arguebantur, Amphipoli adesse*, ut cognitionem huius rei exerceret, *ipse* etc. Rem conficit Livius ipse, qui quum supra XLII, 38. dixisset, Lyciscum praetorem, cui Polybius XXX, 10. Tisippum quoque addidit, Romanorum favisse rebus, infra huius libri cap. 31. haec narravit: *Aetoli deinde citati: in qua cognitione magis, utra pars Romanis, utra regi favisset, quaesitum est, quam utra fecisset iniuriam, aut accepisset. Noxa liberati interfectores: exsilium pulsis aeque ratum fuit, ac mors interfectis. A. Baebius unus est damnatus, quod milites Romanos praebuisset ad ministerium caedis.* In codice, quem pressius secuti sumus, *utre fecisset iniuriam aut accepisset* legitur, quod Grynaeus temere, ut opinor, in *utri fecissent iniuriam, aut accepissent* mutavit. — nimis soluta custodia] Cod. *nimis solutis cuius custodia.* Pronomini *cuius* substitueram *curis*, quod Baumgarten-Crusius ex sequenti *custodia* ortum esse existimavit. In minore Livii editione hoc vocabulum induxi. Similiter enim librarius XLII, 26. *rebusponso* pro *responso*, et cap. 29. *equitum euentum* pro *eventumque* scripsit. — referrique tegulas et resarciri tecta] Cod. *referrique tegulas et referri et tecta.* Vulgato *resarciri*, quod Grynaeo debetur, *refici* substituere malim, quum verbum *resarcire* apud Livium reperiri non meminerim, atque XXVI, 51. *refectisque, qua quassati erant, muris*, XXXIII, 17. *quassata muri reficere*, et cap. 38. ut VI, 1. *reficiendae urbis* legatur, et XLIV, 8. *quae disiecta ac vastata ab Romanis erant, reficit.* Facilius etiam, si hunc locum ita correxeris, intelliges, qui factum sit, ut librarius *referri* ex praecedentibus temere repeteret. Vid. Annotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 69.

Cap. XXIX. submotor aditus] Cod. *summoto additu.* Vulgatum ferri nequit, quum *summotor aditus*, quod Grynaeus edidit, neque *eum, qui submovet, ne adiri possit*, quae pessima est Gesneri interpretatio in Thes. Lingu. Lat. Tom. IV. p. 607. proposita, neque *eum, qui submovet, ut adiri possit*, sive, ut verbis Ernestii in Gloss. Liv. s. h. v. utar, *eum, qui submovendo viam et aditum facit*, significare queat, et lictor recte quidem *summotor populi* dicatur, *summotor aditus* non item. Tantum autem abfuit, ut codicis scripturam confirmare existimarem viri docti coniecturam, qui, teste Drakenborchio, *summotor additus* scribendum esse, ad marginem ed. Curionis opinabatur, ut, quum Livius, si hoc voluisset, haud dubie *summotori* vel potius *lictori additus praeco* etc. positurus fuisset, aliam huic loco medelam adhibendam esse putarem, et codicis scripturam pressius secutus, neque consuetudinis latinae oblitus *summoto aditus* ederem. *B.* De qua lectione a me recepta Baumgarten-Crusius haec annotavit: „Quod Kreyssigius dedit, *submoto aditus*, quum non intelligam, religiosius repetere nolo.“ Quemadmodum autem supra cap. 7. lictores Perseo regi *summoto iter ad praetorium fecisse* dicuntur, ita etiam hoc loco verba: *summoto aditus*, quae librarii errore, de quo Drakenborch. ad Liv. IV, 57, 11.

velim conferas, in *summoto aditu* vel *additu* abierunt, commode per: *aditus ad tribunal a lictoribus summoto populo patefactus,* explicari poterunt. Itaque nihil impedit, quo minus vocabulum *summotor,* licet *praeco* et *accensus,* quae sequuntur, personae nomen requirere videantur, pariter ac *summotus,* quum Plin. Hist. Nat. VIII, 46. non cum Harduino *incedit summotu lictorum,* sed cum Salmasio, qui Silligio codicum auctoritatem secutus esse videtur, et Forcellino s. v. *submotus,* haud dubie, vocabulo *lictorum* omisso, *incedit summoto* legendum sit, e lexicis exterminemus. Haec olim placuerunt, et partim nunc quoque placent. Sed quae ad huius loci emendationem pertinent, ea nunc aliquatenus ita retracto, ut ne *aditus* quidem cum Grynaeo scribendum, sed certiore coniectura ductus, interpunctione sublata, *tribunal summoto aditum* utique reponendum esse censeam. Nam codicis scripturam *additu* facilius ex *aditū,* quam ex *aditus* suboriri potuisse, nemo non intelligit. Sic Liv. XXVI, 51. *a multis legationibus protinus in via aditus,* XXXVII, 6. *quum aditus consul idem illud responsum retulit,* et Tacit. Annal. XIII, 9. *adito rege* legitur, ut alios aliorum scriptorum locos taceam, in quibus idem verbi *adire* participium reperitur, veluti Cic. Off. I, 19. *laboribus susceptis periculisque aditis,* Vellei. Pat. II, 5. *aditis, quae vix audita sunt,* et Ovid. Met. XII, 161. *adita atque exhausta pericla.* Ceterum cf. quae supra de cap. 7. commentatus sum, et XXXI, 29. ubi tribunal praetoris Romani describitur.

Cap. XXX. Regionatim commerciis interruptis ita videri lacerata] Cod. *regionatim me scio interruptis ad uideri lacerata,* vocula *me* in extremo versu posita. Sed infra post nomen *Eordaei,* pro quo librarius *sordaei* posuit, haec in codice leguntur: *commercio interruptis ita uideri laceratam,* quae casu nescio quo in hunc locum sunt delata. Scripsi *commercia,* ut haec *lacerata* dicerentur. *BC.* Praestiterit tamen, quo et ipse primum inclinabam, cum Bekkero recipere codicis scripturam: *Regionatim commercio interruptis ita videri lacerata,* sc. *Macedonia;* praesertim quum vocabulum *commercium* apud Livium nusquam plurali numero positum reperiatur. — et a se ipsa quaeque contemta pars esset] Cod. et Frob. 1. *contempta,* ut alibi. Primum Sigonius hunc locum ita emendavit: *ut se ipsa quaeque contenta pars esset,* quod Bekkerus recepit; deinde Crevierius *et se ipsa,* atque Drakenborchius *et ut se ipsa* scribere maluerunt. Huic cum Lallemando, qui Crevierium post Sigonium lectionem vulgatam ita emendasse falso perhibet, obsecutus sum. *BC.* — Pars prima Bisaltas habet — trans Nessum amnem incolunt] Haec omnia Kopitarius in codicis collatione omiserat; postea tamen hunc errorem correxit, simulque librarium *bisalta* et *incoluntur* scripsisse atque vocabulum *amnem* non addidisse mihi significavit. Neque erat, opinor, cur Grynaeus hoc vocabulum adiiceret. — Cassandriam] Cod. *cassandream,* quod hic quoque praetuli. *BC. B.* — Divisae itaque Macedoniae — formula dicta] Cf. de hoc loco Walchii Emendatt. Liv. p. 268. sqq. et quae post Büttnerum Observatt. Liv. p. 114. sqq. Weissenbornius in

Observationibus Livianis, quae Max. Fubrii et Fr. Zimmermanni commentariis: *Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft* a. 1841. Nr. 103. et Nr. 104. insertae sunt, p. 854. sqq. docte, ut solet, contra Walchium, qui p. 271. codici *quanta universos macedonas tendit formula dicta*, quae in adiecto scripturae specimine non leguntur, falso tribuit, et Bekkerum disputavit, simulque totum locum, in quo codex etiam Kopitario non *quania*, sed *quanta* offerre visus est, ita scribendum censuit: *divisa itaque Macedonia et partium usibus separatis, quae iam universos teneret Macedonas formula dicta.*

Cap. XXXI. quam utri fecissent iniuriam, aut accepissent] Cod. *quam utre fecisset iniuriam aut accepisset.* Vid. quae supra ad cap. 28. de hoc loco annotavi. — His ut maior apud suos caritas, ita minor apud externos gratia erat] Cod. *his aput suos caritas ita maior ad externos gratia erat.* Grynaeus, qui cetera recte emendavit et supplevit, a codicis scriptura: *ad externos,* non discedere debebat. *BC. B.* Vid. Handii Tursellin. Vol. I. p. 93. sq. — deprehensas] Cod. et Frob. 1. *deprensas,* quod hic quoque Drakenborchio probante restitui. *BC. B.* Vid. quae ad XLIV, 12. annotavi. — Antissan] Cod. *intissan,* non *intissam,* quod Kopitarius in codicis collatione posuerat. Scripsi tamen *Antissam,* quod Drakenborchio quoque placuit. *BC. B.*

Cap. XXXII. pronunciatum, *Quod ad statum Macedoniae pertinebat*] Rectius Bekkerus post Doeringium scripsit: *pronuntiatum, quod ad statum Macedoniae pertinebat.* Nam *pertinebat,* id quod Klotzius in Iahnii Annal. philolog. et paedagog. a. 1832. Vol. I. Part. I. p. 67. verissime annotavit, non idem est quod *attinebat.* Praeterea cf. Walchii Emendatt. Liv. p. 193. — neque legum neque libertatis aequae patiens] Cod. *aeque,* quod Bekkerus vulgato recte praetulisse videtur. — aliquibus] Cod. et Frob. 1. *aliquis*, cui iam Frob. 2. vulgatum substituisse, Drakenborchius annotare neglexit. — minimis] Cod. *ministeriis,* quod nescio an ex praecedentibus sit repetitum, ideoque delendum. — indixerat] Cod. *indignato,* quod quid sibi velit, non perspicio.

Cap. XXXIII. et aere] Frob. 2. *aere*, omissa copula, quod Drakenborchius praetermisit. — Alexandriae] Cod. *alexandreae,* quod hic quoque vulgato substitui. *BC. B.*

Cap. XXXIV. quam in propiores] Cod. *quam in proprietatis.* Vid. Comment. de T. Livii Historiarum reliquiis ex palimpsesto Toletano erutis p. 29. — mane omne aurum argentumque conlatum] Qua auctoritate Bekkerus *aurum omne argentumque* ediderit, me ignorare fateor. In codice pariter ac Frob. 1. et 2. haec verba recepto ordine leguntur, ita tamen, ut in illo *omnem* pro *omne* reperiatur.

Cap. XXXV. hi quoque] Cod. *hii quoque.* Propterea Bekkerus scripsit *ii quoque,* quod nescio an huic loco minus conveniat. Vid. quae ad XLIII, 1. annotavi.

— cum tribunis plebis ex auctoritate patrum ageret, rogationem ad plebem ferrent] Cod. *patruum* et *adferrent*, vocula *ad* ex praecedentibus repetita. Dukerus, cui Doeringius temere adversatus est, iustum restituit verborum ordinem: *cum tribunis plebis ageret, ex auctoritate patrum rogationem ad plebem ferrent. BC. B.* Vid. quae supra ad cap. 21. annotavi. — cui ipsi quoque se comparare erubuissent] Cod. *cum ipsi quoque se conparare debuissent.* Grynaeus tamen, quum *debuissent* ab hoc loco alienum sit, haec recte emendasse videtur. — carpsit] Cod. *scripsit*, cui Grynaeus recte, ut opinor, illud substituit. — Pecuniam illum dare non potuisse, militem honorem dare posse?] Horum verborum interpunctionem Walchius Emendatt. Liv. p. 115. recte immutavit. *BC. B.*

Cap. XXXVI. His incitatis] Cod. *is incitati.* Recte igitur Bekkerus *iis incitatis* edidit. — lege dicendi] Immo *de lege dicendi*, quod iam Lallemandus auctore Gronovio recepit. *BC. B.* — nec ad suadendum, ut in re minime dubia, quisquam procederet] Cod. *ad suadendum ut in re minime dubia aut si quisquam procederetur*, Frob. 1. et 2. *ad suadendum, ut in re minime dubia, si quisquam procederet.* Vocabulo *nec*, quod Sigonius inseruit, substitui *set* sive *sed*, quod a praecedenti *esset* facile potuit absorberi, et, *aut* in *haut* sive *haud* mutato atque omissa particula *si*, quae etiam infra cap. 37. verbis *acerbius vigiliae* temere interposita est, totum locum ita edidi: *sed ad suadendum, ut in re minime dubia, haud quisquam procederet. BC.* De *haud quisquam* cf. Handii Tursellin. Vol. III. p. 19. Bekkerus servavit vulgatum, quod cum loco huic simillimo XXXII, 20. contulisse iuvabit. Weissenbornius autem Lectt. Liv. Part. II. p. 9. non fuisse censuit, cur Bekkerus, quum *haud quisquam* a me Livio redditum esset, Sigonii additamentum repeteret, simulque haec adiecit: „Literas *si*, quae interpositae sunt, nisi librario tribuere velis ad vocem sequentem aberranti, depravatas et pro *sane* positas esse suspicari possis, cf. III, 72, 7." Eadem suspicio mihi quoque incidit. Sed quomodo vocabulum *quisquam*, quod sequitur, efficere potuerit, ut librarius vocabulum *si* per errorem interponeret, me non intelligere fateor. Praeterea idem: „Quod Kreyssigius, inquit, scribendum putavit *locus esset, sed ad*, non opus esse videtur particula *sed* adiecta, quam saepe in eiusmodi sententiis a Livio non esse positam docuerunt Gronovius ad III, 71, 6. ad XXII, 25, 7; Drakenb. ad I, 25, 3. all. Fabri ad XXI, 43, 6; Walch. p. 200." Ceterum Kaestnerus quoque in Quaestionibus Livianis, quas Cellis a. 1843. edidit, p. 120. codices nescio quos crepans de huius loci scriptura miro sane modo exposuit et Livium scripsisse statuit: *quum — et privatis lege dicendi locus esset, nec ad suadendam rem minime dubiam quisquam procederet, Ser. Galba repente processit.* Haec aliis placeant. — a tribuno] Cod. *a tribunis*, ut in extremo capite: *ab tribunis petere.* Lectionem peropportune oblatam et in codice perscriptam ut spernerem, a me impetrare non potui. *BC. B.* Miror magis, neminem adhuc ex coniectura ita scribendum censuisse. Nam verba pluralia *iuberent, differrent* et

agerent, quae sequuntur, ut haec ad solum Ti. Sempronium referantur, non permittunt. Paullo post tamen in verbis: *Quum tribunus dicere eo die* etc. perperam *tribuni* pro *tribunus* in codice legitur. — in meliore fortuna] Frob. 2. *in meliori fortuna*, quod Drakenborchius annotare neglexit. Praestat vulgatum. Cf. Reisigii Gramm. Lat. p. 91. ibique Haasii not. 78. — dispoliari] Immo *despoliari*, quod Gronovius, Crevierius et Baumgarten-Crusius recte praetulerunt. Bekkerum *dispoliari*, quod et ipse in maiore Livii editione retinueram, servasse miror. — in uno nimis se per ambitionem peccare] Cod. *peccari*. Gronovius *ultro nimis saepe per ambitionem peccari*, scribendum censuit. Büttnerus Observatt. Liv. p. 117. et Iacobsius in Notis in Livii Lib. XXXIII. p. 394. maluerunt: *iam nunc nimis saepe per ambitionem peccari*. Quibus quidem ita accessi, ut, quum *nunc*, litera *i* ex praecedenti vocabulo *militari* male repetita, in *in uno* abiisse appareat, voculam *iam* omitterem. *BC. B.* Bekkerus satis habuit annotasse: „*nunc* Iacobs: L *in uno*, GR. *ultro*.“ Quam bene et accurate, nemo non videt.

Cap. XXXVII. antiqua disciplina habiti, neque fecerunt] Vocabulo *habiti* lacunae signum apposui. *BC. B.* Alterum *neque* effecit, ut integra orationis particula intercideret. Vid. quae ad XLII, 63. annotavi. — quum primum magistratus ipse cepisset] Haud scio an rectius *magistratum* scribatur. — eius obtrectare laudes voluit] Hoc ipsum in codice legitur. Et recte quidem. Garatonius enim, quum Ferrarius de huius loci integritate dubitasset, Latinos verbum *obtrectare* non solum cum tertio, sed etiam cum quarto casu coniunxisse docuit ad Cic. Philipp. X, 2. Tom. II. p. 318. ed. Wernsdorf. — reus agatur] Cod. *rex agatur*. Recte igitur Muretus coniecit *res agatur*, quod Bekkerus recepit. Sic etiam supra cap. 19. *ut rex docuit* pro *ut res docuit*, et cap. 39. contrario librarii errore *res captus* pro *rex captus* in codice legitur. — circumires] Cod. *circumiret*, quod iam a Gronovio coniectura repertum, quum oratio non ad Paullum, sed ad militem pertineat, recipere non dubitavi. *B.* — et in aciem ex itinere duxisti] Verbum *duxisti* et vocula *ne*, quae sequitur, a Grynaeo, ut lacuna expleretur, sunt interposita. Nihil igitur impediebat, quo minus Gronovianum *ductus es* reciperem. *B.* Pari tamen iure *descendisti* scribas. Baumgarten-Crusius servavit vulgatum et haec annotavit: „Kreyssigius Gronovium secutus, codicem vix crediderim, dedit: *circumiret* — *ductus es*, ut ad militem oratio versa sit.“ Iam apparet, me et codici et Gronovio esse obsecutum. — apud populum Romanum] Cod. *āp. praetorem* pro *apud P. R.* sive *populum Romanum*. Eodem modo librarius XLII, 30. peccavit.

Cap. XXXVIII. Non unius hoc Paulli] Cod. *non unius in hoc pauli*, id est: *non unius Paulli in hoc triumpho decus est*. Quod me in altera demum Livii editione admisisse, nescio an pudeat magis quam poeniteat. Loci sententiam Gronovius bene perspexit, in coniectando autem iusto audacior fuit. Sic paullo post: *militum*

magis in hoc, sc. triumpho, *universique populi Romani fama agitur*. Weissenbornius Lectt. Liv. Part. II. p. 4. sq. Gronovii et Heusingeri coniecturis recte improbatis: „Solus Kreyssigius, inquit, quae sit sententiarum ratio videtur perspexisse. Is enim scripsit: *non unius in hoc Paulli*, quo, ni fallor, significare voluit, id quod verissimum est, respondere his verbis quae infra sequuntur: *militum magis* etc. Cum enim verbis *non unius hoc Paulli* significasset magis quam aperte explicasset, non unius Paulli interesse, ut triumphus sibi concederetur, vehementiore quodam impetu commotus, statim cur ita statueret, et liberiore quidem constructione causas adiecit. Hoc enim dicit: si unius Paulli interesset triumphare, senatu intercedente, id quod multi fecerint, in monte Albano triumphum agere posse; sed tantam esse victoriam, ut senatus denegare non possit triumphum; tantum virum Aemilium, ut facile illo honore careat: itaque populi et militum magis interesse triumphari, quod iis, quae deinceps sequuntur, per partes explicat. Atque credibile est Livium cum illa scriberet: *non unius hoc Paulli*, voluisse ea quae sequerentur ita conformare, ut congruerent cum antecedentibus, sed pluribus interpositis neglecta adversativa particula quae negativae responderet, solam posuisse comparativam, et ultima verba: *militum magis* etc. ad aliud verbum atque initio statuerat, accommodasse. Quodsi igitur Kreyssigius vocem *in* in codice invenit, recte fecit, quod eam exsulare noluit; sin minus, facile hoc additamento carebimus, quod ad sententiarum rationem explicandam non requiritur.“ Me codicis auctoritati obsecutum esse, nunc apparet. — quam illis, qui post eos triumphaverunt] Cod. *quam illi qui triumphauerunt*. Propterea Bekkerus edidit: *quam illis qui . . . triumphaverunt*. — Karthaginiensibus] Cod. *carthaginiensibusque et macedonibus*. Hoc in altera Livii editione non omittendum putavi, simulque paullo ante et paullo post verba *nec de Philippo* et *nec T. Quinctius* uncis inclusa mediae orationi interposui. Quam recte, alii viderint.

Cap. XXXIX. quum de his triumphatum est] Hic quoque *de iis* scribendum videtur. — duci in triumphum mavultis] Cod. *duci in triumpho mauoltis*. Grynaeus igitur pro *in triumpho*, quod iam Dukero usitatius est visum, temere *in triumphum* scripsit. *BC. B.* Idem error infra ad cap. 43. notabitur. — Quid illud spectaculum maximum] Interpunctionem verborum Büttnerus Observatt. Liv. p. 119. recte emendavit. *BC. B.* — debetur. Utrum maiores vestri] Haec Gronovius probabiliter ita correxit, ut scriberet: *debetur triumphus. Maiores vestri* etc. *BC. B.* Similiter supra cap. 13. *utrumuiris* pro *triumviris* in codice legitur. — et finem eum statuerunt] Cod. *et finem statuerunt*, omisso *eum*. Pronomen a Grynaeo non idonea de causa insertum delevi. *BC. B.* Ceterum verba: *exorsi ab diis sunt*, quae praecedunt, librarius ita corrupit, ut scriberet: *et ob si ad discut*, in quibus illa latere Grynaeus acutissime perspexit. — paludatis lictoribus] Hic quoque auctore Gronovio *paludatus cum lictoribus* scripsi. *BC. B.* Idem iam Doeringius recepit. Vid. quae ad XLI, 10. annotavi. Paullo post non *dies*, quod in codicis collatione legitur, sed

deos in codice reperiri, Kopitarius mihi significavit. — traducit] Cod. *transredit*, quod in *transvehit* mutavi. *BC. B.* Utrumque verbum de rebus in triumpho latis usurpari, satis constat. Nunc tamen, quum *in Capitolio* ad praecedentia: *vota in Capitolio nuncupat*, compositum et *transredit* ex duobus vocabulis conflatum esse videatur, totum locum ita scribendum esse suspicor: *victor, perpetrato eodem, in Capitolium triumphans ad eosdem deos, quibus vota nuncupavit, merita dona populi Romani transvehens, redit.* Cf. quae XLII, 49. leguntur: *Quem scire mortalium, utrius mentis, utrius fortunae consulem ad bellum mittant? triumphantemne mox cum exercitu victore scandentem in Capitolium ad eosdem deos, a quibus proficiscatur, visuri, an hostibus eam praebituri laetitiam sint?* — quas traducendas in triumpho vindicavit] Pro *vindicavit*, quod editores quidam in *iudicavit* mutarunt, non tam *dicavit* vel *locavit*, quae Turnebo et Gronovio placuerunt, quam *dedicavit* scribendum esse suspicor. — mactate. illas quidem epulas senatus] Cod. *mactati quidem illae aepulae senatus.* Locum haud dubie depravatum certa emendatione sic restitui: *mactabitis? Quid? illas epulas senatus* etc. *BC. B.* — utrum hominum voluptatis caussa, an deorum hominumque] Horum verborum interpunctionem Doeringius et Walchius Emendatt. Liv. p. 115. rectius constituerunt. *BC. B.* — et ipsum maledice ac maligne] Cod. *et ipsud maledicae ac maligne*, idemque, *maledicae* in *maledice* mutato, in Frob. 1. et 2. legitur. Gronovius, quum Vascosanus *ipsum* edidisset, maluit *et ipsum id*, cui *et id ipsum*, quod in ed. Ald. reperiri idem Gronovius testatus est, substituendum putavi. *BC. B.* Nam alibi quoque *ipsud* pro *ipsum* a librariis ponitur. Sic infra cap. 42. *et in id ipsut* pro *et id ipsum*, et XLIV, 10. *id ipsud quod accidit* pro *id ipsum quod accidit* in codice reperitur.

Cap. XL. bellare cum Romanis coepit] Cod. *bella regē romanis cepit*, ita quidem, ut vocabulum *regē* in extremo versu legatur. Neque tamen est, quod de Grynaei emendatione dubites. — centeni] Cod. *autem*, quod ex ·*x*· *centeni*, id est *denarii centeni*, ortum esse videtur. Nam literas *x* et *a* sexcenties a librariis permutatas esse constat. Vid. quae ad XLIII, 12. annotavi. Infra quoque cap. 42. pro *denarios septuagenos quinos* in codice ·*x*· *septuagenos quinque* legitur. Propterea non *centeni denarii*, sed *denarii centeni* scribendum esse existimavi. *BC. B.* Atque id ipsum etiam Gronovio, qui vocabulum *denarii* deesse annotavit, placuisse videtur. — nunciata] Huic ex Mureti et Gronovii sententia *pronuntiata* substitui. *BC. B.* Pro *acclamassent*, quod sequitur, in codice *classe* reperitur, quod Grynaeus certissima coniectura ductus in illud mutavit. Qui factum sit, ut verbum illud in continua scriptione corrumperetur, nemo non videt.

Cap. XLI. Quamquam et quam feliciter rempublicam administraverim] Cod. *quamquam ob quam l. paulo ratio ad pr. felicitate remp. administraverit.* Vides, lemma: *L. Pauli oratio ad populum Romanum*, ex margine in orationis contextum

irrepsisse, quod et alibi factum. Cf. Drakenborch. ad Liv. VII, 40, 4. et Alschefskium ad XXI, 10. — et quod duo fulmina domum meam per hos dies perculerint] Cod. *et duo fulmina per domum eam per hos dies perculerint*, omisso *quod*. Bonus igitur augur fuit Madvigius, qui Opp. Acad. Part. II. p. 236. de hoc loco verissime: „Postulat, inquit, necessario orationis aequalitas, ut utraque sententia (*et quam — et quod)* eandem formam habeat; nec id tantum cives sciebant, duo fulmina domum Aemilii perculisse, sed quae et quam gravia perculissent. Recte igitur Gronovius, quod in unico codice scriptum est, si modo ita ibi scriptum est, *quod* mutavit in *quae*. Et quantulum haec distant in codicibus!" — et classibus lustra sacrificavi] Cod. *et classibus lustri sacrificiaui*, ultimo verbo in *sacrificaui* mutato. Doeringius coniecit: *et classibus lustrandis sacrificavi*, quod, quum meliora et certiora non suppeterent, recepi. *BC.* Bekkerus autem codicis scripturam pressius secutus edidit: *et classibus lustris sacrificavi*, quod non minus quam vulgatum *lustra sacrificavi*, in quo Sigonius recte offendit, a latina consuetudine abhorrere videtur. Propterea nescio an hic locus ita sit emendandus, ut scribatur: *pro me exercitibusque et classibus nostris sacrificavi*. Nam vocabulum *nostris* facilius, ut opinor, quam *vestris*, quod Sigonius suasit, in *lustris* abire potuit. — progressus] Cod. *progressus ī*, id est *in*, cui hic quoque *inde* substitui. *BC. B.* Vid. quae ad XLIV, 19. et 27. annotavi. — ad pugnam rege coacto] Cod. *ad pugnam rege*, omisso *coacto*, quod a sequenti *acie* interceptum Grynaeus recte addidit. — ab alterius funere filii curru in *** ex Capitolio prope iam exspirantem veni] Cod. *ab alterius funere fili currum ex capitolio prope iam expirantes ueni*. Pro *currum*, quod etiam in Frob. 1. et 2. legitur, Ursinus *curru in* reponendum esse censuit. Lacunam alii aliter expleverunt. Praeter Drakenborchium ceterosque interpretes vid. Büttneri Observatt. Liv. p. 119. sq. — praeter se, nemo superest] Nos quoque acquievimus in ingeniosa viri docti coniectura, qui in Misc. Observatt. Vol. II. Tom. I. p. 150. quum librarii saepe literas vel syllabas, quae repetendae essent, temere omiserint, *praeter senem nemo superest* scribendum censuit. *BC. B.* Büttnerus ad Baueri Liviana Excerpta p. 108. vulgatum ita explicat: „*Se* pro *illum*, ipsum. Ita Cic. p. Rosc. Amer. 2. *ut hunc scrupulum, qui se pungit, evellatis*, pro *ipsum*, *illum*." Inita tamen subductaque ratione, librarium hic quoque ad sequentia: *Sed hanc cladem domus meae* etc. aberrasse et pro *me*, quod iam Douiatius repositurus erat, *sed* posuisse suspicor.

Cap. XLII. Bitis] Cod. *nihil*, quod mireris; sed infra *bitis*. Utroque loco, quum Graecis *Βίθυς* vocetur, cum Lallemando *Bithys* scripsi. *BC. B.* — ne quietus quidem Perseus] Cod. *neque ui neque eiusdem quidem perseus*. Haec Grynaeus acutissime emendavit. — Legati nominati, T. Quinctius Flamininus] Cod. *legati trans nominatius quintius id a minimus*. Aut ego fallor, aut Livius scripsit: *Legati tres nominati, Titus Quintius* sive *Quinctius Flamininus*. *B.* Baumgarten-Crusius vocabulum *tres* a me restitutum rursus omisit. In Frob. 1. perperam *Flaminius*, in Frob. 2. recte *Fla-*

minimus legitur. Vid. quae ad XLI, 8. et 28. annotavi. — a Carseolis arcessitus] Cod. *arcarseolis accersitus*, quod in *ab Carseolis accersitus* sive *arcessitus* mutandum erat. *BC. B.* — inusitatae] Cod. *inuisitate* pro *invisitatae*, quod vulgato praetuli. *BC. B.* Gronovius, quem Lallemandus sequitur, codicis scripturam coniectando assecutus est. De crebra horum vocabulorum permutatione vid. Drakenborch. ad Liv. V, 35, 4.

Cap. XLIII. locisque munitis fretam] Cod. *locis monumentisque fretum*, quibus substitui: *locis munimentisque fretam*, id est *locis natura et manu munitis. BC. B.* Scodra XLIV, 31. *regni totius arx* et *munitum situ naturali oppidum* vocatur. Pro *gentem*, quod sequitur, in codice *regem* reperitur. Recte tamen Grynaeus, licet librarius hanc ipsam ob causam paullo ante *fretum* scripserit, hoc in illud, cui verbum *perdomare* magis convenit, mutasse videtur. — transtulit in triumphum] Cod. *transtulit in triumpho*, verbis *in triumpho* post *spoliaque alia* repetitis, quod hic quoque, ubi Gronovius ita scribi maluit, ut supra cap. 39. praetuli. *BC. B.* — denarium tria millia] Cod. *denarium ·x· tria milia.* Grynaeus, nisi fallor, librarium, quum *denarium* scripsisset, huius vocabuli compendium temere addidisse existimabat. Multo tamen praestat *denarium decem et tria milia* scribere. *BC. B.* Bekkerus autem voculam *et* recte omisit. Vid. Drakenborch. ad Liv. X, 21, 6. XXIX, 37, 6. et XXXVII, 30, 8. Ita Gronovio satisfiet, cui summa argenti in triumpho translati iusto tenuior videbatur. — Illyrii argenti] Frob. 1. et 2. *Illyrici argenti*, quod Bekkerus revocavit. Vulgatum tamen, quod Gronovius illi substituit, in codice reperiri videtur. Kopitarius enim tacet. Vid. quae ad XLIV, 32. annotavi. — Igiturvium] Huic Umbriae oppido *Iguvium* nomen fuisse, Turnebus docuit. *BC. B.* Librarius, quum per errorem *igitur* scripsisset, ut errorem corrigeret, syllabas *uium* adiecit.

Cap. XLIV. populato] Cod. *optato*. Illud, quod Grynaeus restituit, primum in *opulato*, deinde in *optato* corruptum esse videtur. — intercalares fuerunt] Cod. *intercalaria et fuerunt*. Sic etiam XLIII, 11. in codice *intercalaria* pro *intercalares* legitur. Recte Crevierius et Drakenborchius hoc quoque loco, quo compendium *kal.* sive *cal.* post *Terminalia* facile intercidit, vocabulum *Calendae* addendum esse censuerunt. *BC. B.* — T. Quinctium Flamininum] Cod. *tullium quintium flamininum*, Frob. 1. *T. Quintium Flaminium*, cui Frob. 2. *Flamininum* recte substituit. — magno comitatu] Cod. *magno comitum*. Non tam vocabulum *numero* excidisse, quam *comitatu* in *comitū* sive *comitum* abiisse suspicor. — senatum adit] Cod. *senatu agit*. Drakenborchium secutus *adiit* scripsi. *BC. B.* Sic paullo post *petit* pro *petiit* in codice reperitur. Atque ita librarius sexcenties peccavit, veluti XLI, 27. et 28. atque XLII, 28. et 45. ubi similiter *romam redit* pro *Romam rediit* in codice legitur. — Si ager] Cod. *is ager*. Addito pronomine *is*, quum particula *si* inter *missuros* et *is*

posita facile potuerit excidere, *Si is ager* scripsi. *BC. B.* Vid. quae supra ad cap. 9. annotavi. — Antiochi non fuisset] Cod. *antioci non peruissent.* Quid hic lateat, alii investigent. — Ne quod detur quidem] Cod. *ne quo detur qui detur quidem.* Ex duplici codicis scriptura, nisi forte particula *quidem* effecit, ut librarius ad praecedentia respiciens *qui detur* poneret, colligas, Crevierium recte *cui* pro *quod* reponendum censuisse. Vocabula *cui* et *qui* a librariis saepe permutantur. Cf. Annotatt. ad Liv. XXXIII, 35. p. 86. — laetum et ea benignitate] Cod. *letum et ea benignitatem.* Voculam *et,* quae Manutio in *ex* mutanda videbatur, de Crevierii et Drakenborchii sententia expunxi. *BC. B.* — munera sibi ipsum emisse] Cod. *munera sibi ipsi emi nō si esse*, vocula *nō*, id est *non*, in extremo versu posita. Quae, quum prius minus probabiliter *noluisse* coniecissem, certiore emendatione sic restitui, ut *munera sibi ipsi emi non sisse* scriberem. *BC. B.* De forma infinitivorum *sisse* et *desisse* vid. Drakenborch. ad Liv. III, 18, 6. et IX, 46, 3. — in regnum est profectus] Cod. *in regnum est profectus actumque ī asia bellum*, ita quidem, ut *ī* pro *in* positum in extremo versu legatur. Vocabulum *actumque* iam Lambecius ex codice addidit, cetera ex duobus, qui literis exolescentibus scripti sequuntur, versibus Kopitarii industria eruit. Quid autem *actum in Asia bellum* hoc loco significet, quum neque probabile sit, Livium *bellum agere*, de quo Cic. pro Balb. cap. 20. et Drakenborch. ad Liv. Epit. XLIX. velim conferas, pro *bellum gerere*, insolentius dixisse, neque ex Liv. X, 31. ubi *bella agere* idem est quod *bella enarrando persequi,* explicari possit, in medio relinquendum videtur.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 4. lin. 6. pro *tesselati* scr. *tessellati.* — Pag. 8. lin. 33. post *p.* 21. *et* 25. *sq.* adde: „Praeterea Pertzius, id quod postea rescivi, in commentariis: *Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtkunde,* Part. IV. p. 521. exhibuit scripturae specimen ex eodem codice petitum, quod libri XLIV. principium continet.“ — Pag. 11. lin. 27. pro *u. mil. iib.* scr. *·u· mil. iib.* — Ibid. lin. 38. vocula *cum* delenda, quae in codice non legitur. — Pag. 12. lin. 24. pro *transitum* scr. *transitum.* Hoc enim vocabulum in codice non desideratur. — Pag. 15. lin. 11. pro *quod utrumque* scr. *quorum utrumque.* Cf. Krebsii Antibarb. p. 792. sq. et Madvigii Gramm. Lat. p. 443. ubi adde Liv. XLIV, 6. *quae utraque regiis tenebantur praesidiis.* — Pag. 16. lin. 2. et 3. scr. hoc ordine: „cap. 25. absciaderent] *absciderent* Cod. Frob. 1. Idem in altera editione restitui. — ibid. si cui opus esset] *si quo opus esset.*“ — Pag. 17. lin. 20. pro *incommentariis* scr. *in commentariis.* — Pag. 18. lin. 28. post verba: *optandum est,* adde: „Optatis, priusquam optarem, respondit eventus. Iam dudum enim prodiit Ioach. Meyeri libellus ita inscriptus: Variae lectiones ad Livii lib. XXIV. et XXV. quas Fabri, defunctus gymnasii Norimbergensis rector, ex cod. Bamberg. enotavit. Norimbergae, 1847. quem mihi nondum comparare potui.“ — Pag. 19. lin. 11. post *essent* adde: „et IX, 2. *praeter oram superi maris.*“ — Pag. 20. lin. 35. post *p.* 662. adde: „quibus adde quae ad XLII, 67. annotavi.“ — Pag. 22. lin. 35. post *p.* 48. adde: „Sic etiam Tacit. Annal. XV, 40. pro *redibat* in cod. Med. *rediebat* legitur.“ — Pag. 33. lin. 29. post *poeniteat* adde: „Paullo ante *ac nemo,* quod non spreverim, pro *nemo* in codice reperitur.“ — Ibid. lin. 35. post *p.* 1. *sqq.* adde: „Similiter Tacit. Annal. XIII, 16. quum copula in cod. Med. esset omissa, alii perperam *ac Octaviam sororem Britannici* scripserunt, alii rectius *atque* suppleverunt.“ — Pag. 36. lin. 5. post *scripsit* adde: „Sed non ubique. Vid. quae ad XLV, 2. annotavi.“ — Pag. 38. lin. 13. pro *ahsolutam* scr. *absolutam.* — Pag. 44. lin. 17. pro *addidit* scr. *praepositioni ex substituit.* — Ibid. lin. 33. post *substituit* adde: „Cf. Krebsii Antibarb. p. 313. et Drakenborch. ad Liv. XXI, 43, 15.“ — Pag. 46. lin. 19. post *p.* 69. adde: „Pro *renunciarunt* in ed. Ernest. *nunciarunt* legitur, quod Doeringius non correxit. Ceterum cf. Annotatt. ad Liv. XXXI, 9. p. 132.“ — Pag. 47. lin. 11. post *conpetem* non colon, sed comma ponendum. — Ibid. lin. 34. pro *Macedonesque* scr. *Macedonasque.* — Pag. 48. lin. 37. post *annotavit* adde: „et Reisigii Gramm. Lat. p. 91. ibique Haasii not. 77.“ — — Pag. 49. lin. 36. post verba: *id est populo Romano,* adde: „Sic etiam XLV, 18. Sigonius, quum Grynaeus *sub tutela esse* ex codice edidisset, recte scripsit: *sub tutela populi Romani esse.*“ — Pag. 51. lin. 3. post *pati* adde: „Similiter XLIII, 6. librarius *et aliquae imperarentur* pro *et alia, quae imperarentur,* scripsit.“ — Pag. 52. lin. 10. pro *cap.* 60. scr. *infra cap.* 60. — Ibid. lin. 24. post *praetulit* adde: „Cf. Drakenborch. ad Liv. IV, 12, 7. et quae Halmius ad Cic. Orat. pro Sulla cap. 3. p. 60. annotavit. — Pag. 53. lin. 21. post *posuit* adde: „bella maiores gessisse] Cod. *bella magis quam maiores gessisse.* Verba *magis quam* ex praecedentibus repetita esse apparet.“ — Pag. 55. lin. 28. dele comma post *deos* positum. — Pag. 57. lin. 17. post *videtur* adde: „Cf. Annotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 76. sq.“ — Pag. 58. lin. 2. pro *p.* 79. scr. *p.* 69. — Ibid. lin. 5. post *BC.* adde: „Cf. quae Cunzius in praefatione suae Curtii editioni, quam imperfectam reliquit, praemissa p. 49. sqq. ex utroque scriptore collecta inter se comparavit.“ — Ibid. lin. 26. post *nota D* adde: „quam XLI, 18. in codice reperiri supra vidimus.“ — Pag. 61. lin. 1. pro *mopselum* scr. *Mopselum.* — Ibid. lin. 15. post *desinere* adde: „et Tacit. Hist. IV, 1. *Interfecto Vitellio bellum magis desierat, quam pax*

coeperat." — Pag. 67. lin. 35. post *terris* adde: „et paullo post *laturus si.*" — Pag. 68. lin. 36. pro *ad u.* scr. *ad ·u·.* — Pag. 69. lin. 18. pro *xc.* scr. *·xc·.* Kopitarius, nisi fallor, in codicis collatione *·ac·* ponere debebat. — Pag. 70. lin. 35. post *tribunis* non comma ponendum, sed punctum. — Pag. 72. lin. 14. pro *ab Romanis* scr. *ab romanis.* — Pag. 73. lin. 19. post *neglexit* adde: „In ed. Amstelod. a. 1633. vulgatum reperitur." — Pag. 81. lin. 4. pro *pervictam* scr. *peruictam.* — Ibid. lin. 30. post *BC. B.* adde: „De crebra horum vocabulorum permutatione vid. Drakenborch. ad Liv. X, 33, 10." — Pag. 82. lin. 16. pro *vocabulum* scr. *vocabulum.* — Pag. 84. lin. 27. pro *Vid. igitur* scr. *Vide igitur.* — Pag. 85. lin. 36. pro *Orellius testatur* scr. *Orellius et Waltherus testantur.* — Pag. 89. lin. 11. post *lembis* adde: „In Annotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 89. Kopitarium secutus codici minus recte *ingressis ex lembis* tribui. Bekkerus autem peius etiam hanc textui subiecit annotationem: „*reversis* Grynaeus: L *ingressis.*" — Ibid. lin. 21. post *retinerent* adde: „De utroque loco cf. Annotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 106. sq." — Pag. 94. lin. 32. post *postposuit* adde: „Ceterum de hac lunae defectione cf. Seyffarthi nostri commentationem: *Ueber die Sonnen- und Mondfinsternisse der Alten* p. 35. sq." — Pag. 96. lin. 21. post *tamen* adde: „Gronovium secutus." — Pag. 97. lin. 9. post verba: *notarum numeralium,* adde: „*uıııı* et *ıııı* sive." — Ibid. lin. 24. pro *et c pondo* scr. *et ·c· pondo.* — Pag. 99. lin. 6. pro *increbuit,* quod in Frob. 1. legitur, scr. *increbruit,* quod Drakenborchius illi substituit. — Ibid. lin. 9. post *videtur* adde: „Cf. Reisigii Gramm. Lat. p. 261. sqq. ibique Haasii not. 302." — Pag. 100. lin. 27. pro *agepolim* scr. *Agepolim.* — Pag. 102. lin. 9. post verba: *Et recte quidem,* adde: „dummodo lacunae signum vocabulo *tantum* subiiciatur." — Pag. 104. lin. 19. post *legitur* adde: „De contrario librariorum errore vid. quae ad XLII, 21. annotavi." — Ibid. lin. 37. post *possum* adde: „Librarius primum perperam *facilis,* deinde recte *capitis* scripsisse videtur. Similiter enim verba *capere* et *facere* alibi permutata esse, Drakenborch. ad Liv. II, 65, 5. et Duker. ad Liv. XXXII, 18, 8. docuerunt. Locis ibi prolatis adde Liv. XXXIII, 27. ubi in cod. Bamb. *fecerunt* pro *ceperunt* legitur. — Pag. 105. lin. 38. post *Liv. XXV,* 30, 7. adde: „et Reisigii Gramm. Lat. p. 92. ibique Haasii not. 80." — Pag. 113. lin. 27. post *maiorā* adde: „vel ex prima vocabuli *maiora* litera a librario male repetita." — Pag. 120. lin. 6. post *debuissent* adde: „nisi Livium, quum vocula *non* a proximo *conparare,* ut XXXIII, 20. in cod. Bamb. a verbo *contineret,* facile potuerit intercipi, *cui ipsi quoque se non comparare debuissent,* scripsisse statuas." — Ibid. lin. 7. post *videtur* adde: „Sic etiam infra cap. 39. de iisdem: *currum ei cessuri et prae pudore videntur insignia ipsi sua tradituri.*" Praeterea in Commentatione de T. Livii Historiarum reliquiis ex palimpsesto Tolatano erutis haec addas velim et corrigas: Pag. 13. lin. 8. pro expositionis scr. expositionis. — Pag. 14. lin. 25. post verba: *nihil interest,* adde: „Vid. Reisigii Gramm. Lat. p. 90. ibique Haasii not. 76. — Pag. 18. lin. 6. post *et XXVI,* 1. adde: „Praeterea Liv. XLIII, 15. pro *Q. Marcio* in cod. Vindob. *C. Marcio* legitur." — Pag. 20. lin. 4. post *recepit* adde: „Cf. Schneideri Gramm. Lat. Part. I. Vol. I. p. 38. sqq. et Wagneri Orthogr. Virgil. p. 482. sq." — Pag. 22. lin. 12. post *dicitur* adde: „et XLV, 37. M. Servilius de Paulli militibus: *Eadem severitas imperii,* inquit, *quam nunc oderunt, tunc eos continuit.*" — Pag. 28. lin. 5. post *Livio* adde: „qui secundum cod. Vindob. XLIV, 32. XLV, 6. et 35. eam usurpavit." — Pag. 29. lin. 11. post p. 418. adde: „et Livii cod. Vindob. in quo librarius XLI, 15. XLII, 18. 24. 26. et 32. XLIII, 5. et 9. atque XLV, 22. 26. et 29. notam Q. pro *quae* positam vocabulis *successoris, ea, iniuriam, ea, possent, indicarent, inposita, imperatorem, fecit* et *regionibus* eodem plane modo subiecit." — Pag. 30. lin. 16. post *Hist.* adde: „II, 19. *Solidati muri, propugnacula addita, auctae turres* etc." — Pag. 33. lin. 10. post *haberet* comma ponendum. — Pag. 36. lin. 7. dele comma post *l'attendre* positum.

COMMENTATIO

DE

T. LIVII HISTORIARUM

RELIQUIIS

EX PALIMPSESTO TOLETANO ERUTIS.

In tenui labor.

VIRGILIUS.

PROOEMIUM.

Quo maiore studio ante annos quadraginta amplius praesidia ad T. Livii Historiarum Lib. XCI. Fragmentum, quod Brunsii et Iuvenatii opera ex codice Vaticano eoque palimpsesto sive rescripto erutum Niebuhrius emendavit et supplevit, denuo edendum necessaria undique conquisivi[1]), eo vehementiore nuper, quum rumor de Historiarum Livianarum reliquiis in membrana palimpsesta ab Heinio, peragrata Francogallia, Hispania et Lusitania, in patriam reverso Berolinum delata repertis percrebuisset, desiderio incensus Zumptium doctissimum mihique amicissimum, ut me quam primum hac de re certiorem faceret, per literas rogavi. Ad quas quidem ille perhumaniter ita respondit, ut exspectationem hoc invento commotam aliquantum imminueret, atque postea, ut fidem mihi datam exsolveret, Pertzii libellum[2]), quo

---

1) De iis exposui primum in libello ita inscripto: Adumbratio notitiae literariae de T. Livii Patavini Historiarum Lib. XCI. Fragmento Romae in bibliotheca Vaticana reperto. Lipsiae, 1813. deinde in Elencho editionum Fragmenti Liviani ex codice Vaticano eruti, quem Livii editioni ab Ernestio adornatae et post Schaeferum a me recognitae Tom. I. p. LXVI — LXXV. praemisi. Ipsum autem Livii fragmentum ad priorum editionum fidem correctum et suppletum cum ceterorum interpretum praefationibus et commentariis meisque annotationibus eiusdem ed. Ernest. Tom. IV. p. 323 — 491. inclusi. Ceterum, ut hoc addam, rarissimus ille et diu frustra quaesitus Harduini libellus, quem Sinnerus praeter exspectationem Lutetiae Parisiorum mihi comparavit, ita inscribitur: Fragmentum ex Lib. XCI. Historiarum Titi Livi Patavini. *Fragment du livre XCI. de l'Histoire de Tite-Live, Padouan. Traduit en Français par J. E. Hardouin. A Paris*, 1794. Neque tamen est cur ea, quae in Elencho editionum Fragmenti Liviani p. LXVIII. de eo nondum a me inspecto dixi, nunc retractem; praesertim quum Harduinus, id quod postea intellexi, Hamburgensem fragmenti editionem Parisiis a. 1773. negligentius repetitam secutus sit.

2) *Über ein Bruchstück des 98sten Buchs des Livius von G. H. Pertz. Berlin*, 1848. Adiectae sunt huic libello, cuius p. 3. et 8. sqq. Livii reliquiae literis maiusculis et minusculis exscriptae sunt, duae tabulae, quae utriusque paginae imaginem a chalcographo perquam affabre expressam repraesentant. Cf. *Neue Jenaische Allgemeine Literatur-Zeitung*, a. 1848. No. 293. p. 1171. ubi vir doctus argumento libelli breviter exposito haec subiecit: „*Der weitern Forschung bleibt überlassen, eine zureichende Erklärung für* candidatus praetorius *aufzufinden, den Angriff auf die* via sacra *von den Dächern aus zu erklären, die Interpolation* inde pergentis, *was heissen soll „der sich von dort entfernte,“ zu rechtfertigen.*“ Periculosae, ut ait Horatius, plenum opus aleae.

exiguae Historiarum Livianarum particulae ad octavum et nonagesimum, ut ipsi videtur, librum referendae, quae medicamenti ope [3]) inter recentiorem, de qua postea dicam, membranae a bibliopola Toletano emptae scripturam in lucem emerserunt, cum editoris annotationibus continentur, benevole mecum communicavit. Perlecto autem relectoque hoc libello, quem cupidissime exspectaveram, facile intellexi, Pertzium multa quidem de Livii libris et eorum reliquiis per temporum intervalla editis [4]), itemque de rebus ad palaeographiam latinam pertinentibus docte, ut solet, ac praeclare disseruisse, sed in Livii fragmentis, quae primus edidit, emendandis atque explicandis ita versatum esse, ut difficultates ex corrupta vel lacunosa verborum scriptura ortas non sentiret [5]), nedum tolleret, atque permultis iisque gravissimis erroribus-

---

3) Cf. praeter ea, quae Pertzius p. 2. de *chemicis* eiusmodi, ut docte magis quam latine loquar, *reagentibus* dixit, librum ita inscriptum: *Zur Handschriftenkunde. Von F. A. Ebert. Leipzig*, 1825. Vol. I. p. 83. sqq. et p. 230. sq. et quae ad Brunsii Epist. ad Kennicottum p. 335. editionis nostrae annotavimus.

4) Verum tamen p. 12. verbis: „*erst im Jahr* 1616. *folgten die fehlenden siebenzehn ersten Capitel des* 33*sten Buchs*,“ addendum erat: „*aus einer Bamberger Handschrift, die in neuerer Zeit den Herausgebern des Livius zugänglicher gemacht worden ist*,“ atque p. 13. ubi Pertzius falso perhibet, Vaticanum Livii fragmentum, quod a. 1772. ex codice palimpsesto erutum Brunsius Hamburgi, et Cancellerius cum Iuvenatii annotationibus Romae anno insequenti ediderunt, a. 1773. a Brunsio et Iuvenatio repertum atque editum esse, non praetereundum erat, in libello ita inscripto: Ovidii Halieutica, Gratii et Nemesiani Cynegetica, ex recensione Mauricii Hauptii. Accedunt inedita Latina et tabula lithographica. Lipsiae, 1838. p. 70. sq. locum Livii, qui Hauptio ex libro quarto decimo petitus esse videtur, ex codice olim Bobiensi, nunc Vindobonensi, esse editum, de quo vid. Additamentum nostrae libri tricesimi tertii editioni p. CXXIII. sq. insertum. Ceterum hoc ipsum Livii fragmentum desideratur etiam in nova Livii editione stereotypa, nuperrime a Tauchnitio, Caroli filio, inconsulte ac temere in nostrae locum succedere iussa, quam, quum editor imperitus, qui nomen suum recte voluit ignorari, permultos Livii locos iam dudum emendatos editionem Venetam a. 1470. secutus pessime corruperit, editiones a Bekkero et Alschefskio adornatas, quae compluribus in locis meliora obtulissent, aliorumque virorum doctorum libros ad Livii interpretationem pertinentes non consuluerit, diligentiorem codicis Bambergensis collationem a nobis institutam, qua nosmet ipsi, maiore et minore Livii editione iam pridem absoluta, uti non poteramus, prorsus neglexerit, menda typographica, quae in praefatione nostrae libri tricesimi tertii editioni praemissa p. XXXVI. sq. correximus, non sustulerit, postremorum quinque librorum a Grynaeo primum ex codice Laurishemensi, nunc Vindobonensi, editorum atque a nobis, id quod Praefat. p. III. subdole dissimulatum est, eiusdem codicis auctoritate et coniecturae probabilitate fretis emendatorum supplementa non a Crevierio, quem eorum auctorem esse, praeter ἀνώνυμον illum, nemo ignorat, sed a Freinshemio composita esse, Tom. V. p. 131. in annotatione subiecta falso perhibuerit, Tom. VI. p. VII. verba olim a nobis ibidem scripta: *editionis nostrae maioris*, quasi ipse eam parasset, perquam ridicule retinuerit, atque alia permulta, quae enumerare et exagitare longum est, per imprudentiam commiserit, errorum gravissimorum ac vitiorum turpissimorum sentinam iure meritoque dixeris.

5) Pertzius enim p. 5. haec scripsit: „*Die Auflösung des so ergänzten Textes bietet keine besondere Schwierigkeiten.*“ Utinam vera dixisset atque nodis, qui in tertia potissimum columna sunt difficillimi, feliciter expediendis mihi non mediocriter laboranti otium fecisset.

implicaretur. Quam ob rem operae pretium fuerit in Pertzii locum succedere, et, quum in Vaticano, de quo supra dixi, Livii fragmento pariter ac Sallustianarum Historiarum reliquiis a Niebuhrio, quum Romae ageret, mecum communicatis et carminis latini de bello Actiaco sive Alexandrino, quod Rabirio tribuitur, particulis in volumine Herculanensi repertis pristinae integritati utcunque restituendis non frustra elaborasse mihi videar[6]), in Toletanis quoque Livii fragmentis ingenii vim experiri, ut vel laborem a Pertzio inchoatum magis quam profligatum feliciter absolvam, vel in rebus tam antiquis, ut ait Livius, si, quae similia veri sint, pro veris accipiantur, satis habeam.

Iam vero, quum neque Livii nomen, neque libri numerus, quorum utrumque non solum in Livii codice Laurishemensi seu Vindobonensi, ad quem Pertzius lectores delegavit, sed etiam in palimpsesto Vaticano reperitur[7]), in superiore membranae Toletanae margine com-

---

6) Cf. C. Sallustii Crispi Historiarum Lib. III. Fragmenta ex codice Vaticano edita ab Angelo Maio. Editio auctior et emendatior. Accedit codicis Vaticani exemplum a lithographo descriptum. Misenae, 1830. et Commentatio de C. Sallustii Crispi Historiarum Lib. III. Fragmentis, ex bibliotheca Christinae, Suecorum Reginae, in Vaticanam translatis, atque Carminis latini de bello Actiaco sive Alexandrino Fragmenta ex volumine Herculanensi evulgata, Misenae a. 1835. iterum a me edita. Ex his quidem libris Pertzius, quum ea scriberet, quae p. 18. leguntur, discere potuisset, Sallustii Historiarum reliquias non in codice palimpsesto, id quod ipse olim, priusquam a Niebuhrio certiora edocerer, perperam suspicabar, sed in laceris codicis antiquissimi particulis esse repertas. De Rabirii autem versibus aliter, quam nobis, visum est Merkelio, popularis et familiaris nostri filio, qui in *Embolio* Ovidii Tristium libris, Berolini a. 1837. editis, incluso p. 331. has carminis latini reliquias Heynio, Morgensternio et nobismet ipsis, *praeter duas tresve syllabas rectius, quam a Ciampittio restitutas nihil dum debere*, iudicavit et de quibusdam earum particulis, magno promissor hiatu, coniecturas proposuit admodum ieiunas et improbabiles. Nemo enim, quum Herculeo robore non opus sit, iugulare dubitabit eiusmodi versiculorum monstra: Col. II, 7. 8. *Haec mihi cum summa*, id est, si diis placet, cum reliqua Aegypto, *plebes quoque nunc sibi victrix Vindicat hunc famulam Romana potentia eandem*, Col. VI, 8. *Immersisque toro clauserunt gaunaca fauces*, Col. VII, 8. *Gentis Alexandri cernens*, id est ferro decernens, *ad moenia venit*, et Col. VIII, 1—3. *Exserere ac tuti portarum claustra, nec urbem Obsidione tamen, nec corpora moenibus audent, Armaque pro muris atque arma pedestria ponunt.* Hic, ut cetera mittam, quae quid sibi velint, non intelligo, pro *armaque*, quod Merkelius haud dubie per imprudentiam posuit, certe restituendum *castraque*, quod in volumine Herculanensi legitur. Ulterius haec atque talia exagitare nec vacat, nec lubet. Ceterum de his carminis latini fragmentis vid. libellum ab eius auctore mihi donatum: *Epitome de' Volumi Ercolanesi, pel Cav. Lorenzo Blanco. Napoli*, 1841. p. 47. sqq. atque de C. Rabirio poeta conferas velim Beckeri *Beiträge zur Römischen Literaturgeschichte*, in commentariis a Bergkio et Caesare editis: *Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft*, a. 1848. Part. VII. Nr. 75. p. 597. sq.

7) Brunsius enim, id quod Pertzium p. 16. praeteriit, in Epist. ad Kennicottum p. 333. „Titulus inquit, quem tabulae prae se ferunt, in adversa parte *LIB. XCI.* et in aversa *TITI LIUI.*" Minus accurate Cancellerius Praefat. p. 343. idem tradidit. Praeterea Pertzius p. 14. ubi se in commentariis: *Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtkunde*, Part. IV. in tabula ad p. 521. referenda,

pareat, primum quaeritur, num ea, quae in his operis historici particulis narrantur, a Livio, an ab alio rerum Romanarum scriptore, veluti Sallustio, memoriae sint prodita, deinde, si haec Livii esse inter omnes constiterit, ad quem librum exiguae, quae aetatem tulerunt, Historiarum Livianarum reliquiae probabiliter sint referendae. Atque illud quidem nemo, ut opinor, in dubium vocabit, qui non tam singula horum fragmentorum vocabula, id quod Pertzius p. 12. docere instituit, in ceteris quoque Livii libris reperiri animadverterit, quam nativum orationis Livianae colorem cognitum habuerit ac perspectum; hoc autem, si quid iudico, vix unquam ad liquidum confessumque poterit perduci. Pertzius enim, cuius sententiam infra refutabimus, quum de verborum compositione securus Q. Hortensium et Q. Caecilium Metellum Creticum, quos a. u. 685. sive 69. a. Chr. consulatu functos esse constat, verbis: *consules ambo*, quae III, 2. et 3. leguntur, significari statuisset, res a Livio hic enarratas ad illum ipsum annum retulit atque haec fragmenta libro octavo et nonagesimo assignanda esse censuit. Tantum autem abest, ut hoc ei concedam, ut, quum Metellum eo anno, in quem tumultus ille in sacra via concitatus incidit, hominem privatum et, nisi coniectura fallor, candidatum praetorium fuisse perquam probabile sit, ea omnia, quae his fragmentis continentur, ad M. Terentii Varronis et C. Cassii Vari consulatum, id est a. u. 681. sive 73. a. Chr. pertinere, ideoque in libro, ut videntur, quinto et nonagesimo a Livio enarrata esse existimem. Hoc unum igitur, quum ibidem Metellus *postea*, confecta Creta provincia, *Cretici* cognomen accepisse dicatur, pro certo habendum, has Historiarum Livianarum reliquias neque ad librum undecentesimum, qui res gestas a Metello adversus Cretenses continebat, neque ad alium ex iis, qui deinceps sequebantur, referendas esse.

His praemissis pergamus ad membranae Toletanae formam accuratius describendam, et, quod nunc instat, agamus. Ac primum quidem magnopere dolendum est, quod hoc ludibrium casus edidit fortuna, ut incondita Hieronymi barbaries, quam Gaio quoque nocuisse meminimus [8]), non solum in Vaticano Livii fragmento, sed etiam in Toletanis eiusdem reliquiis

---

id quod ignorabam, scripturae specimen ex Livii codice Laurishamensi seu Vindobonensi petitum, quod ex Liv. XLIV, 1. verba: *Principio veris — adulescentes tr. mil.* continere, nunc ipsum video, exhibuisse dixit, annotare debebat, Walchium quoque Emendationibus Livianis, Berolini a. 1815. editis, et Endlicherum Catalogo codicum manuscriptorum bibliothecae Palatinae Vindobonensis, Part. I. Vindobonae, 1836. eiusdem scripturae specimen adiecisse, atque p. 16. not. 1. commemorare Platzmanni libellum ita inscriptum: Iuris Romani testimoniis de militum honesta missione, quae in tabulis aeneis supersunt, illustrati specimen. Lipsiae, 1818. qui honestae missionis a Vespasiano Caesare a. u. 823. sive 70. p. Chr. a. veteranis datae exemplum aeri incisum continet.

8) Etenim Gaii Institutionum Commentariis a Niebuhrio in codice Veronensi eoque palimpsesto repertis et a Goeschenio aliisque magno studio et labore erutis atque editis Hieronymi epistolas superscriptas esse, nemo ab his literis tam alienus est, ut ignoret. Vid. Niebuhrium ad M. Tullii Ciceronis Orationum Fragmenta p. 24. sq. et Baehrii *Geschichte der Römischen Literatur* p. 749. sqq.

lacteam illam Livii ubertatem a Quinctiliano Inst. Orat. X, 1, 32. commendatam infuscaret. Quemadmodum enim illud latina librorum sacrorum interpretatione ab Hieronymo composita, quam *Vulgatam* appellari et ab altera, quae vulgo *Itala* vocatur [9]), diversam esse constat,

---

9) In libello, quem oppido adolescens literarum Hebraicarum studio deditus edidi ita inscriptum: Observationes philologico-criticae in Iobi Cap. XXIX. vers. 19—25. Lipsiae, 1802. p. 9. sq. haec scripsi: „Unicus, quo Italae mentio iniicitur, locus exstat apud Augustinum, qui Lib. II. *de doctrina Christiana* cap. 15. Opp. Tom. III. Part. I. p. 21. ed. Bened. *In ipsis autem*, inquit, *interpretationibus Itala ceteris praeferatur: nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiae.* Augustini verba corruptionis labem contraxisse, acute iam perspexerunt Casleius et Bentleius, atque vulgatam huius loci lectionem ita emendare studuerunt, ut ille: *illa latina ceteris praeferatur, quae est* etc. hic autem: *illa ceteris praeferatur, quae est* etc. scribendum esse coniiceret. Vid. Mittenzwey Disputatio Anti-Blanchiniana. Lipsiae, 1760. p. 6. sq. Tantum autem abest, ut alterutrum rem acu tetigisse credam, ut, quum duriores, quas nobis obtulerunt, loci sanandi medelae mihi certe prorsus displiceant, Blanchini affirmatione et codicum Vaticanorum ab Assemano inspectorum auctoritate neglecta, suspicari malim, Augustinum scripsisse: *In ipsis autem interpretationibus usitata ceteris praeferatur: nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiae.* Vocabulum *interpretationibus* literas *us* absorbere, atque *itatam* mutari potuisse in *italam*, operosa, puto, non eget demonstratione. Contextum vero orationis seriemque verborum lectioni, quae de certa quadam interpretatione latina agi significet, repugnare, Mittenzwey non satis recte statuisse videtur. Itaque opinionis qualiscunque meae auctorem gravissimum facio Augustinum ipsum, qui Lib. II. *de consensu Euangelistarum* cap. 66. Opp. Tom. III. Part. II. p. 59. ed. Bened. *codices ecclesiasticos interpretationis usitatae* diserte commemorat. Num igitur in posterum obscuro *Italae* nomini renuntiandum, atque latina librorum sacrorum interpretatio antehieronymiana, episcopo Hipponensi nomen subministrante, *Usitata* potius sit appellanda, iudicent eruditi.“ Neque nunc est quod illius coniecturae me poeniteat. Quum autem huius inventi laudem mihi soli ab Eichhornio (*Einleitung in das Alte Testament*, Vol. I. p. 701.) impertitam esse nolim, non diffiteor, eius partem ad Potterum pertinere, quem ante me Augustini locum alicubi eodem modo emendasse postea didici ex Haenleinii libro: *Handbuch der Einleitung in die Schriften des Neuen Testaments*, Part. II. p. 226. sq. ed. alt. Ubinam hoc fecerit, neque ex Eichhornio ipso, quem praesens praesentem hac de consului, neque ex aliis theologis de eadem re interrogatis comperire potui. Quemadmodum autem in Augustini loco ultima vocabuli *interpretationibus* syllaba primam insequentis abstulisse videtur, ita librarios alibi contrario errore lapsos extremam vocis praecedentis literam in principio insequentis vocabuli repetiisse constat. Eiusmodi vitio laborat Schol. Porph. ad Horat. Sat. I, 4, 110. *Hic Barrus vilissimae libidinis fuit, adeo ut Aemiliam virginem Vestae incestasse dictus sit; certe adulteras sincerissima cupiditate sectabatur.* Alterum mendum iam sustulit Iacobsius, qui *vilissimae* mutavit in *vitiosissimae*, id est flagitiosissimae, alterum residet in vocabulo *sincerissima*, cui *insanissima* substituendum esse Dueringius falso opinatus est. Haud dubie enim praestat *incestissima* scribere, prima vocabuli illius litera inducta. Praeterea, quum semel de infimae latinitatis scriptoribus agatur, alteram huic addere liceat loci depravati emendationem. Schol. Acr. ad Horat. Sat. I, 3, 130. haec narrat: *Urbane satis Alfenum Varum Cremonensem deridet, qui abiecta sutrina, quam in municipio suo exercuerat, Romam venit, magistroque usus Sulpicio iurisconsulto ad tantam pervenit scientiam, ut consulatum gereret et publico officio fungeretur*, pro quo Heindorfius ex Schol. Porph. *et publico funere efferretur*, reponendum censuit. Recte quidem, si ad rem, non ad verba spectes. Scribe igitur meo periculo: *et publico officio funeraretur.* Apparet enim, vocabulum *officium* hoc loco *supremum officium* sive *funus* significare, et *funeraretur* librariorum negligentia primum in *funeretur*, deinde in *fungeretur* abiisse.

diu obrutum ac veluti sepultum iacuit [10]), ita his septimo, ut Pertzius p. 2. arbitratur, saeculo Commentariorum in Iesaiam prophetam ab eodem Hieronymo confectorum particulae [11]) superscriptae sunt. Quod qua ratione factum fuerit, primum ex ipso Pertzio audiamus, qui de antiquiore pariter ac recentiore membranae Toletanae scriptura [12]) et columnarum,

---

10) Magnopere enim erravit Pertzius p. 14. haec scribens: „*Es bleibt also nur das Palimpsest des 91sten Buches übrig, welches dem unsrigen auch darin ähnlich ist, dass die neuere Schrift gleichfalls des heiligen Hieronymus Commentar zum alten Testamente enthält.*“ Quippe Brunsius in Epist. ad Kennicottum p. 328. de codice Vaticano haec scripsit: „Codex Latinus Palatino-Vaticanus nunc signatus 24. olim autem 90. 1363. complectens in forma *ὀκταπτύχῳ* minore libros Tobiae, Indithae, Iobi et Estheris constat 176 foliis, quae supera manus numeravit,“ et Cancellerius Praefat. p. 340. „Complectitur autem is codex historias Tobiae, Indithae, Iobi atque Estheris ab Hieronymo conversas.“ Eadem Niebuhrius, cuius libellum Pertzius in promptu habebat, in Notitia codicis Palatini XXIV. bibliothecae Pontificiae Vaticanae, M. Tullii Ciceronis Orationum Fragmentis praemissa, p. 9. testatur. Praeterea conferas velim, quae de duplici scripturae specimine editioni Romanae adiecto dixi in Elencho editionum Fragmenti Liviani p. LXIX. Itaque vel hanc ob causam, ut de cetera, quae inter utrumque codicem intercedit, dissimilitudine taceam, nemo facile, id quod fieri posse Pertzius existimavit, Vaticana pariter ac Toletana Livii fragmenta ex uno eodemque codice palimpsesto petita esse suspicabitur.

11) Vid. Sancti Eusebii Hieronymi, Stridonensis Presbyteri, Operum Tomus quartus. Studio ac labore Dominici Vallarsii, Veronensis Presbyteri. Veronae, 1735. Commentariorum in Isaiam prophetam Lib. XIII. cap. 49. p. 566—568.

12) De continua scriptione, quae non solum in his Livii fragmentis, sed etiam in ceteris palimpsestis aliisque codicibus antiquis reperitur, et scripturae compendiis, quae librarius usurpavit, Pertzius p. 5. sq. ita commentatus est: „*Wie Sueton von Augusts Handschrift berichtet:* Non dividit verba, *so sind auch hier die Buchstaben zwar ohne alle Verbindung, aber auch ohne alle Trennung neben einander gestellt. Es war eine zweite Eigenthümlichkeit des Augustus* „nec ab extrema parte versuum abundantes litteras in alteram transfert, sed ibidem statim subiicit circumducitque“, *dass er am Ende der Zeilen nicht abbrach, sondern die überzähligen Buchstaben eines angefangenen Wortes gleich darunter — oder wie es in alten Handschriften auch sehr häufig vorkommt, darüber — schrieb und durch einen Strich an die richtige Stelle leitete; hier hingegen sind die zweiten Hälften der Worte wie* glo-riae compo-nenda di-uersorum fati-gata consu-les tu-multum fugien-temque de-mum *jedesmal in den Anfang der folgenden Zeile verwiesen; nur ein oder höchstens zwei Buchstaben, welche keine eigene Sylbe bildeten, wurden mittelst eines Abkürzungsstriches angehängt,* in *durch* I‾, con *durch* CO‾, *ohne Zweifel auch das fehlende* m in cognomen *durch einen Strich oberhalb neben dem* e *ausgedrückt; einmal ist in* quorum *das Ende durch ein kleines* u *mit dem Strich darüber gegeben.*“ Recte quidem, quum a perversa loci Sueton. Octav. cap. 87. interpretatione discesseris. Pertzius enim, id quod satis mirari non possum, perperam existimavit, *verba dividere*, id est verba in partes sive syllabas dividere, idem significare quod verba disiungere et per intervalla disponere, neque vidit, voculam *nec* in altera comprehensionis parte positam, quum Suetonius non scripserit: *nec dividit verba, nec ab extrema parte versuum abundantes literas in alteram transfert,* pro copulativa potius, quam disiunctiva particula habendam esse. Vid. Kritzii et Bergeri Gramm. Lat. p. 455. Huc accedit, quod Augusti temporibus, quorum Pertzius haud immemor esse debebat, omnes omnino Romanos in pugillaribus pariter ac chartis et membranis continua scriptione usos esse et perraro, id quod in volumine Herculanensi factum est, vocabula punctis interpositis disiunxisse

quae vocantur, ordine ita disseruit, ut in eius sententiam ubique concedere non possemus. Ita igitur ille p. 7. sq. „*Bevor wir zu einer näheren Betrachtung des Textes übergehen, ist es nothwendig über das Verhältniss der vier verschiedenen Bruchstücke ins Klare zu kommen, zu erkennen, durch wie weite Lücken sie von einander getrennt sind. Zunächst lehrt der Augenschein, dass uns hier je zwei Columnen einer Seite, und nicht vier Seiten, vorliegen; der enge zwischen beiden Columnen leergelassene Raum im Vergleich gegen den vier Finger breiten oberen Rand beseitigt jeden Zweifel; es ist daher gleichfalls gewiss, dass die linke Columne jeder Seite der rechten vorhergeht. Über die einstige Länge der Columnen und den Umfang der Handschrift lässt sich Folgendes theils mit Sicherheit theils mit grosser Wahrscheinlichkeit schliessen. Der Text des Hieronymus enthält 17 Zeilen, vergleicht man ihn mit dem gedruckten Commentar des Werkes, so fehlen zwischen der Vorder- und Rückseite etwa 14 Zeilen; es war also das Pergament fast noch einmal so lang als unser Bruchstück, und nach dem Masse des zur Seite weggeschnittenen Textes mehr als 1½ mal so breit, so dass mithin der weissgelassene Seitenrand sowohl des Hieronymus als des alten Textes dem oberen Rande beider entsprach. Da nun der Hieronymus mit seinem Texte und innern Rande anderthalb Columnen des alten Textes in Anspruch nahm, so ergiebt sich daraus, dass der alte Text nicht in zwei, sondern in drei Columnen geschrieben war, dass jedes Blatt bei der Verwendung für den Hieronymus in der Mitte gebrochen, und aus einem grossen Quadrat zwei Blatt Langfolio gemacht wurden. Vermuthlich schnitt man dabei, um nicht zu langes Format zu erhalten, noch einen Theil des untern Pergaments als Einzelblatt ab, so dass wir uns das alte Pergamentblatt wenigstens als ein völliges Quadrat denken dürfen, welches von allen Seiten die Schrift mit einem sehr breiten Rande umgab.* Tum, paucis interiectis, ita pergit: *Bei solchen Verhältnissen würde die Columne der alten Schrift zwischen 30 und 34 Zeilen gezählt haben, und der Umfang dessen was auf jeder Seite zwischen dem Ende der 11ten Zeile der ersten und der 1ten Zeile der folgenden Columne verloren ist, darf auf das Doppelte des Erhaltenen angenommen werden. Die ursprüngliche Entfernung des Textes der einen Seite von dem auf der andern hängt davon ab, ob unser Stück zu der äusseren oder inneren Hälfte des alten Blattes gehörte: im letztern Falle ist zwischen den beiden jetzigen Seiten eine Lücke von 2⅔ Columnen, im erstern nur von 20*

---

constat. Rectius Suetonii verba, de quibus Weichertum ad Imperatoris Caesaris Augusti scriptorum reliquias, Vol. I. p. 144. velim conferas, in rem suam convertit Brunsius in Epist. ad Kennicottum p. 334. Ceterum errorem huic simillimum et maxime geminum exagitavit Beckerus, qui in Elegeiis Romanis p. 54. sq. de Ovid. Trist. III, 3, 71. sq. *Quosque legat versus oculo properante viator, Grandibus in tumuli marmore caede notis*, non sine acerba sugillatione interpretum commentatus est hunc in modum: „*Grandibus notis.* Mirifice errat Burmannus, qui fuisse, quas nos capitales literas vocemus, putat. Quem errorem nulla falsi suspicione suscepere Bachius, Platzius, Kleinius. Quasi vero aliis notis nisi capitalibus usi essent illius temporis Romani! — *Grandes notae* sunt conspicuae magnitudine. Cic. Verr. IV, 34. *Haec* (Diana) *erat posita Segestae, sane excelsa in basi; in qua* g r a n d i b u s *literis P. Africani nomen erat incisum.*“

— 24 *Zeilen. Da nun zwischen den beiden grösseren fast ganz erhaltenen Bruchstücken, welche in diesem Falle so nahe zusammenträten, gar kein innerer Zusammenhang ersichtlich ist, so bin ich geneigter das Erstere anzunehmen. Daraus folgt, dass der alte Text der jetzigen Kehrseite den Anfang macht.*" Propterea Pertzius tertiam et quartam columnam primae et secundae praeposuit. Id ego longe aliter esse iudico. Bene quidem Pertzius docuit, membranam Toletanam non quattuor textus, ut ita dicam, Liviani paginas, sed binas duarum paginarum columnas exhibere, et ideo sinistram columnam in utraque pagina dextram praecedere; idemque recte statuit, unamquamque codicis omnium antiquissimi et primo, ut ipse p. 18. opinatur, saeculo exarati paginam, id quod etiam in palimpsesto Ambrosiano sive Mediolanensi, ex quo Maius et Peyronus orationum Ciceronianarum partes ineditas eruerunt, factum esse constat[13]), in ternas columnas fuisse divisam, et singula eius folia, quum Hieronymi commentarii inscriberentur, a librario conduplicata esse. Inferiorem foliorum partem, ne codicis forma iusto longior redderetur, ab eodem ita resectam esse, ut non dimidia, sed tertia tantum, id quod Pertzius p. 1. sq. dixit, pars folii formae maximae supersit, in tanta, quanta tum erat, chartae pergamenae caritate et parsimonia non crediderim. Multo minus autem a Pertzio mihi persuaderi patiar, singulas textus Liviani columnas, id quod mea quidem sententia nullo pacto poterit probari, tricenis vel quaternis et tricenis versibus constitisse, ideoque tertiam tantum quattuor columnarum partem, eamque ne integram quidem superesse, et post undecimum singularum columnarum versiculum vicenos vel quaternos et vicenos versus intercidisse. Tantum enim versuum numerum, quum fragmenti Vaticani, ut hoc utar, multo minoribus literis scripti[14]) columnae tricenis versibus constent, paginarum vel amplissimarum longitudo vix ac ne vix quidem capere potuisset; praesertim quum magna orae superioris et sine dubio etiam inferioris pars vacua fuerit relicta[15]). Praeterea vero, quod caput rei est,

---

13) *Cf.* M. Tullii Ciceronis trium Orationum pro Scauro, pro Tullio, pro Flacco partes ineditae, cum antiquo scholiaste item inedito ad Orationem pro Scauro. Invenit, recensuit, notis illustravit Angelus Maius. Mediolani, 1814. Praefat. p. 11. sq. sive p. 12. ed. Francofurt. et M. Tulli Ciceronis Orationum pro Scauro, pro Tullio, et in Clodium fragmenta inedita etc. Ex membranis palimpsestis Bibliothecae R. Taurinensis Athenaei edidit et cum Ambrosianis parium orationum fragmentis composuit Amedeus Peyron. Stuttgardiae et Tubingae, 1824. p. 13—66. ubi harum orationum textus secundum columnas est descriptus.

14) Vid. scripturae specimen libello ita inscripto: M. Tullii Ciceronis Orationum pro M. Fonteio et pro Rabirio fragmenta, T. Livii Lib. XCI. fragmentum plenius et emendatius, L. Senecae fragmenta ex membranis bibliothecae Vaticanae edita a B. G. Niebuhrio C. F. Romae, 1820. adiectum. Quam scripturae imitationem licet Niebuhrius p. 22. neque sibi, et peius etiam scalptori cessisse profiteatur, facile tamen intelligitur, eam neque Historiarum Sallustianarum reliquias a me editas, neque haec Livii fragmenta literarum magnitudine adaequare.

15) Iuvat hic subiicere, quae Niebuhrius de palimpsesto Vaticano, ex quo Livii fragmentum est editum, p. 18. disseruit hunc in modum: „Manent in his reliquiis permulta summae elegantiae vesti-

membrana Toletana, quum integra esset, commentariorum ab Hieronymo conscriptorum partem inde a verbis: *isti ab Aquilone et mari,* usque ad verba: *ad Austrum referre poterimus,* ita complectebatur, ut, quum post septenos illos et denos versus, qui ex utraque pagina supersunt, non quaterni et deni, ut ait Pertzius, sed terni tantum et deni versus periisse videantur, singulas paginas tricenis versibus constitisse, perquam probabile sit. Cuinam igitur non apparet, ex singulis textus Liviani columnis, quas in codice elegantissime scripto medium paginarum locum occupasse nemo dubitabit, non vicenos, ut Pertzius opinatur, vel quaternos et vicenos, sed, quum in utraque textus Hieronymiani pagina quaterni versus in pura ac vacua membrana scripti sint, atque undeni textus Liviani versus ternis et denis illius versibus obtegantur, novenos tantum, ut mea fert opinio, aut summum denos vel undenos versus intercidisse, et codici antiquissimo hac quoque in re cum palimpsesto Ambrosiano sive Mediolanensi, cuius columnae singulis et vicenis versibus constant, miram et quasi fraternam similitudinem intercessisse? Praeterea nec hoc Pertzio concesserim, membranam Toletanam ex interiore folii antiqui parte rescissam, ideoque columnam tertiam et quartam, quum secunda et tertia non inter sese cohaerere videantur, primae et secundae praeponendas esse, sed illam ad exteriorem eius partem pertinuisse, et Livium de ordinum diversorum certaminibus dicere exorsum paucis illis, qui tertiam et quartam columnam intercedebant, versibus ad patriciorum, nisi coniectura fallor [16]), in plebeios saevitiam et tumultum in sacra via coortum perrexisse crediderim.

Restat, ut de ratione, quam in his Livianarum Historiarum reliquiis denuo edendis secutus sum, paucis absolvam. Primum igitur utramque commentariorum Hieronymianorum paginam ita descripsi, ut, quae in codicis lacinia non leguntur, literis inclinatis seu cursivis, quae vocantur, exprimenda curarem, et omnem scripturae discrepantiam ex membrana Toletana, quam cum Vallarsii editione contuli, diligenter enotatam subiicerem. Deinde quattuor codicis Liviani columnas, quarum prima et quarta ternas tantum vel senas, non quinas, ut Pertzius p. 4. de

---

gia: litterarum conformatio pulcherrima est: nitor ipse tenerarum membranarum non omnino periit. Margo in summa pagina, quo plus membranae purae ad scribendum extaret, illaesus remansit: a ceteris partibus, ut omnia ad propositum libri modulum exaequarentur, abscisus est ita ut in primae paginae dimidio ultimi versus perirent: quae orae amplitudo, in aliis quoque vetustissimis membranis conspicua, divites librariae supellectilis ostentatores Romanos hac pulchritudinis specie aeque delectatos fuisse monstrat atque eos qui hodie in hoc genere insaniunt."

16) Quamquam facile intelligitur, in eiusmodi rebus veritatem plerumque ad liquidum explorari non posse, interdum tamen coniectura non fallit. Niebuhrii enim opinionem per se maxime probabilem, orationis Scaurianae partes ex palimpsesto Ambrosiano sive Mediolanensi a Maio editas aliter esse disponendas, palimpsesti Taurinensis auctoritate confirmatam esse, testatur Peyronus in Praefatione ad Orationum Ciceronis Fragmenta p. 8. sq. Neque nosmet ipsos poenitet eorum, quae de Historiarum Sallustianarum particulis inter se coniungendis et in iustum ordinem redigendis scripsimus in Comment. de C. Sallustii Crispi Historiarum Lib. III. Fragmentis p. 15. sqq. Utinam igitur et haec coniectura, quae certe speciem quandam veritatis habet, codicis perfectioris auctoritate aliquando confirmetur.

prima columna agens perhibet, vel septenas, literas ex versuum principio et exitu residuas continent, quanta maxima potui cura ac diligentia ad membranae Toletanae fidem ita repraesentavi, ut literas a Pertzio vel memet ipso suppletas typorum diversitate a ceteris distinguerem, et Livii verba utcunque emendata ac redintegrata subscriberem. Denique annotationes adieci, quae non solum in librarii mendis coniecturae ope tollendis et lacunis probabiliter supplendis, sed etiam in Pertzii erroribus corrigendis et perversis, quas ille protulit, locorum singulorum interpretationibus refutandis versantur, neque tamen, quum in eiusmodi scriptorum antiquorum reliquiis emendandis atque explicandis omnis fere coniectura lubrica sit ac periculosa, ita comparatae sunt, ut, quum aliquoties dubitationi locus relinquatur, memet ipsum omni errore carere existimem. Propterea nihil ardentius cupio ac vehementius exopto, quam ut alii, qui laborem in re tenui consumptum non prorsus improbant, eundem et ipsi subeant, atque me, quem hoc sibi devincient beneficio, meliora et certiora edoceant.

Hieronymi Commentariorum in Iesaiam particulae.

Pagina adversa.

Ecce isti de longe venient, isti ab Aquilone et mari: alii autem *de terra Persarum*. Laetamini caeli, et exsultet terra, *erumpant montes* laetitiam, quia misertus est deus *populi sui et humi*les populi sui consolatus est. Hoc te*stimonio apostolus* Paulus in secunda *epistola* ad Corinthios u*sus est, dicens*: Tempore opportuno exaudivi te, et i*n die salutis auxi*liatus sum tui. Ecce nunc tempus *acceptabile, ecce* nunc dies salutis. Si ergo vas elec*tionis ad primi ad*ventus refert intelligentiam *quae dicuntur*, *et nos* sequamur expositionis eius ves*tigia, et instar par*vulorum super adumbratas lineas *praeceptoris* literas imprimamus. Tempus pl*acitum et oppor*tunum et dies salutis passio salvat*oris est et resurrec*tio, quando orabat in cruce: Deus, deus *meus*, *quare me de*reliquisti? Et servavit eum sive pl*asmavit morte s*uperata, deditque in foedus populi *Iudaeorum*, *his vi*delicet, qui ex illis credere voluerun*t*, *ut suscitaret terram* etc.

Varietas lectionis ex codice Toletano enotata.

isti] *iste*, syllaba *te* superscripta et litera *e* transfixa. — mari] *mare*, ultima litera transfossa. — exsultet] *exultet*, idemque in edit. Vallars. legitur. Cf. Schneideri Gramm. Lat. Vol. I. Part. II. p. 559. sq. — terra] idem, sed *a* litera superscripta. — laetitiam] *iilaeticia*, ita quidem, ut librarium, cuius animo obversarentur verba Vulgatae: *iubilate*, *montes*, *laudem*, primum *iubila* scripturum fuisse, deinde lineolas *u* punctis superimpositis induxisse et tertiam in *l* mutasse appareat. — misertus est deus] *misertus de ds*, priore *ds* in *es* mutato. — humiles] ....*lis*. Ergo *humilis* in codice legebatur. — in secunda epistola ad Corinthios] *in seconda ad corinthios*, omisso vocabulo *epistola*, quod in edit. Vallars. additum delere nolui. Pertzius p. 2. perperam scripsit: *paulus in secundo ad corinthios*. — opportuno] *oportuno*. — Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis] *ecce nunc tempus* .... *nunc dies salutis*. Totus igitur locus in codice ita perscriptus erat, ut edidi. In edit. Vallars. *Ecce nunc tempus acceptabile etc.* legitur, ceteris omissis. — refert] *refret*, literis *er* male transpositis. — intelligentiam] *intellegenciam*. — expositionis] *exposicio.is*, litera *n* omissa et vacuo spatio relicto. — parvulorum] ...*uolorum*. Ergo librarius *paruolorum* scripserat. — literas] *letteras*, priore *e* litera transfixa. — imprimamus] *inpraemamus*, litera *e* transfossa. — Tempus] *tempos*. — opportunum] ....*tunom*. Librarius igitur *oportunom* scripserat. — resurrectio] ....*cio*. Itaque *resurreccio* in codice exstitisse videtur. — dereliquisti] ..*requisti*, syllaba *li* superscripta. — superata] ..*parata*. Ergo *suparata* in codice legebatur. — deditque] In hoc verbo literae *ue* in unam figuram coaluerunt. — videlicet] ..*dilicet*. Librarius igitur *uidilicet* scripserat.

Hieronymi Commentariorum in Iesaiam particulae.

Pagina aversa.

Qui autem in istiusmodi viis atque semitis pastus fuerit et nutritus, *nec esuriet, nec sitiet*, neque calorem sentiet *solis, et implebi*tur de illo quod scriptum est: *Per diem sol non* uret te, neque luna per noc*tem, ut nec ad*versa, nec prospera huius saeculi *sentiat. Si*quidem misericors et miserator dominus *ipse consolabi*tur et reget eos, et deducet ad *fontes aquarum*, sive potabit illos ad fontes, *de quibus scriptum* est: Benedicite domino de fon*tibus Israel. Et in* alio loco: Haurite aquas de fon*tibus salvatoris*. Hi fontes in vetere et novo sunt *testamento*. Omniaque offendicula, quae cre*dentium poter*ant impedire gressus, dominus eis *vertet in plan*um, et excelsa humiliabit atque *humilia sublim*abit, ut iter planum habeant atque *campestre*. Qui sint autem isti, quibus praepar*atur via*, *pon*it manifestius: Ecce isti de long*e venient* etc.

Varietas lectionis ex codice Toletano enotata.

semitis] ..*mitas*, litera *a* transfixa. — nutritus] Literae *us* in unam figuram coaluerunt. — neque calorem] *nec calorem*. Illud praestare videtur. Cf. Handii Tursellin. Vol. IV. p. 128. — saeculi] *seculi*. — miserator dominus] *miseratur dn̄s*, id est *dominus*. — potabit] *portabit*. Idem, auctore Vallarsio, in cod. Ambros. reperitur. Librarii peccarunt. Nam in Vulgata quoque legitur: *et ad fontes aquarum potabit eos*, pro quo interpres Alexandrinus rectius sane posuit: *καὶ διὰ πηγῶν ὑδάτων ἄξει αὐτούς*, cui Hieronymus substituit: *et deducet ad fontes aquarum*. — ad fontes] *de fontis*. Librarius aberravit ad verba: *de fontibus Israel*, et: *de fontibus salvatoris*, quae sequuntur. — Benedicite domino] *benedicete dn̄o*, id est *domino*, antepenultima verbi *benedicete* litera transfossa. — Haurite] *hauries*. Utrum praestet, alii viderint. Ies. XII, 3. in Vulgata legitur: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris*. — in vetere et novo sunt testamento] Edit. Vallars. *in veteri testamento et novo sunt*. Apparet autem ex codicis scriptura: *.n uetere et nouo sunt* ....*o*, vocabulum *testamento* in versus principio fuisse positum. Utrum *vetere*, an *veteri* scribas, nihil interest. Ceterum ultima vocabuli *uetere* litera transfixa est, vocabulum *nouo* ita exaratum, ut ultima eius litera superscripta sit, et in verbo *sunt* literae *unt* in unam figuram coaluerunt. — offendicula] *offendicola*. — quae] *qui*. — poterant] .....*runt*. Ergo in codice *potuerunt* legebatur, quod illi non praetulerim. — impedire] *implere*, litera *m*, ut videtur, literis *er* superimposita. Quod quid sibi velit, non intellige. Vide, an olim *implectere* vel *implicare* scriptum fuerit. — dominus] *dn̄s* per scripturae compendium. — humiliabit] *humiliauit*, vulgari literarum *b* et *v* permutatione. — habeant] *habeat*, litera *n* superscripta.

T. Livii Historiarum reliquiae.

Pagina adversa.

I.	II.
.... UERAE	PQLENTULUSMARCELL*INUS*
.... SPECTA	EODEMACTOREQUAEST*OR*
.... LLIIN	INNOUAMPROUINCIA*M*
.... RATDEI	CURENASMISSUSESTQ*UOD*
.... ITACO	EAMORTUIREGISAPIO*NIS*
.... QUORU	TESTAMENTONOBISD*ATA*
.... DAEET	PRUDENTIOREQUAM*ILLAS*
.... TAERO	PERGENTISETMINUSG*LO*
.... ETUM	RIAEAUIDIIMPERIOCO*NTI*
.... TCUPI	NENDAFUITPRAETERE*ADI*
.... ORITU	UERSORUMORDINU*M* ...

I.

.... verae .... specta .... lli in .... rat dein .... ita con .... quorum .... dae et .... tae ro .... e tum .... t cupi .... oritu ...

II.

.... P. C*ornelius* Lentulus Marcell*inus* eodem auctore quaest*or* in novam provinci*am* Cyrenas missus est, q*uod* ea mortui regis Apio*nis* testamento nobis d*ata* prudentiore, quam *illas* per gentis, et minus gl*o*riae avidi imperio co*nti*nenda fuit. Praeterea *di*versorum ordinum...



T. Livii Historiarum reliquiae.

Pagina aversa.

III.	IV.
. ISSAEUITIAQUAREFATI	PAUC . . . .
*GA*TAPLEBESFORTECONSU	ULTER . . . .
*LES*AMBOQ·METELLUMCUI	CUPIT . . . .
*POS*TEACRETICOCOGNOME	UALIN . . . .
*FUI*TUELCANDIDATUM	INCO . . . .
*PR*AETORIUMSACRAUIADE	IERU . . . .
*TE*CTISCUMMAGNOTU	MIHI . . . .
*M*ULTUMINUADITFUGIEN	TIAEC . . . .
*TES*Q·SECUTAADOCTAUIDO	AEQ . . . .
*MUM*Q·PROPRIOREERATI	BIPA . . . .
*PRO*PUGNACULUMPERUE	. . . l . . . .

III.

.is saevitią. Qua re fati*ga*ta plebes forte consu*les* ambo [*atque*] Q. Metellum, cui *post*ea Cretico cognomen *inditum*, et candidatum *pr*aetorium sacra via de *te*ctis cum magno tu*m*ultu invadit, fugien*tes*que secuta ad Octavi do*mum*, quae propior erat, in *pro*pugnaculum perve*nit*.

IV.

pauc . . . . ulter . . . . cupit e . . . . ua lin . . . . inco . . . . ieru*nt* . . . . mihi . . . . tiae c . . . . aeq . . . . bi pa . . . . l . . . .

ANNOTATIONES.

I.

.. UERAE] Quum manifesta *U* literae vestigia in membrana lacera supersint, non est, opinor, quod dubites, Livium vel *verae*, vel *severae* scripsisse.

DEI¯] Utrum Livius hic quoque, ut alibi, *dein* scripserit, an librarius ultimam vocabuli *deinde* syllabam in versum insequentem transtulerit, ad liquidum perduci non potest. Scripturae compendium *dēn* pro *deinde* poni solitum in codicibus palimpsestis non reperiri, certum habeo. Vid. Handii Tursellin. Vol. II. p. 239.

.. ITA CO¯] Exiguas *I* literae reliquias in palimpsesto reperisse mihi videor. Pertzius p. 3. :TACO¯ scripsit et p. 9. *ta con* edidit. Ceterum hic quoque, ut supra in vocabulo *dein* et infra III, 10. in vocula *in*, lineola literarum *M* et *N* vicaria literis *CO* est adiecta.

QUORᵛ] Similiter librarii et alibi, ne scriptura longius producta versiculi spatium excederet, literas minoris moduli in extremo versu posuerunt. Vid. Annotatt. ad Livii Hist. Lib. XCI. Fragmentum p. 388. et ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 44.

.. ORITU] Hoc Pertzius summos, qui restant, literarum apices rimatus recte restituisse videtur. Utrum autem ..*o ritu* scribendum, an vocabulum *moriturus* reponendum sit, nemo facile dixerit.

II.

P Q LENTULUS MARCELL....] Vulgo quidem oratio in codicibus palimpsestis aliisque ita in capita describi solet, ut prima versiculi litera maiuscula sinistrorsum proiiciatur. Cf. Annotatt. ad Livii Hist. Lib. XCI. Fragmentum p. 435. et ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 113. atque praeterea Niebuhrium ad M. Tullii Ciceronis Orationum Fragmenta p. 56. Hoc tamen loco et infra IV, 1. primam vocabuli *paragraphus* literam eodem consilio positam esse, et postea in notam §, qua nunc vulgo utimur, per varias mutationum vicissitudines abiisse, Pertzius p. 5. operose quidem, sed parum probabiliter demonstrare instituit. Altero certe loco Pertzii sententiam non admittendam esse, infra videbimus. Sed hic quoque, licet *Q* litera, quae sequitur, nostrae opinioni adversari videatur, nescio an rectius statuas, *P* literam esse notam praenominis *Publius*, et punctum vulgo apponi solitum in detrita membrana evanuisse. Quod ut evincam, asperiore remedio, ut medici solent in morbis gravioribus sanandis, huic loco subveniendum esse censeo. Constat enim, literas *C* et *Q* a

veteribus ita permutatas esse, ut *qolonia* et *pequnia* pro *colonia* et *pecunia* scriberent, atque librarios ita peccasse, ut non solum *cosque*, quod Tacit. Annal. XIII, 37. in cod. Med. legitur, pro *quosque* ponerent, sed etiam notas *C.* et *Cn.* pro praenominibus *Caius* et *Cnaeus* usurpari solitas in *Cornelius* mutarent. Vid. Cellarii Orthogr. Lat. Tom. I. p. 66. sqq. ed. Harl. Schneideri Gramm. Lat. Part. I. Vol. I. p. 325. sqq. Reisigii Gramm. Lat. p. 62. sq. atque Drakenborch. ad Liv. V, 52, 3. et XXVI, 1, 1. Quid igitur impedit, quo minus suspicemur, in palimpsesto *Q* literam, cui hic quoque, ut III, 3. et alibi, punctum fuisse subiectum perquam probabile est, a librario in contrarium quidem, sed simillimum tamen errorem inducto pro *Corn.* sive *Cornelius* esse positam? Confidentius tamen, id quod non dissimulo, de Lentuli cognomine, quod sequitur, pronuntiare licebit. Pertzius enim, qui p. 11. hunc Q. Lentulum quaestorem nusquam commemorari dixit, p. 4. quum cognomen *Marcellinus* versiculi extrema parte truncati modum excedere videretur, scribendum censuit MARCELL*I F.* sive *Marcelli filius*, quod nullo pacto admitti potest. Primum enim satis constat, Livium plerumque, id quod iam Drakenborchius ad Liv. III, 25, 3. et Sigonius ad Liv. IV, 45, 5. recte annotaverunt, ex Romanorum consuetudine filium a patre adiecto praenomine paterno distinxisse; interdum tamen, sed multo rarius, illustre et pervulgatum patris cognomen, quod in vocabulum *Marcellus* non cadit, hac in re usurpasse. Liv. XXVII, 6. *Ti. Sempronius Ti. F. Longus augur factus in locum T. Otacilii Crassi*, quae verba Drakenborchio suspecta deleri nolim. *Decemvir item sacris faciundis in locum Ti. Sempronii C. F. Longi Ti. Sempronius Ti. F. Longus suffectus*, et XXXVII, 46. *Creati M. Atilius Serranus, L. Valerius P. F. Flaccus, L. Valerius C. F. Tappo.* Atque ita alibi sexcenties. Liv. XXXVIII, 9. *Et Aetolos C. Valerius, Laevini filius, qui cum ea gente primum amicitiam pepigerat, consulis frater, matre genitus eadem, egregie adiuvit.* De funere patris, viri celeberrimi, Liv. XXXI, 50. *Et ludi funebres eo anno per quatriduum in foro, mortis M. Valerii Laevini causa, a P. et M. filiis eius facti; et munus gladiatorium datum ab iis: paria quinque et viginti pugnarunt.* Liv. XL, 42. *Et augur Sp. Postumius Albinus decessit. In locum eius P. Scipionem, filium Africani, augures cooptarunt.* Deinde non minus certum et Iac. Gronovii de Liv. XXXIX, 23. ubi pro *M. Claudius Marcellinus* haud dubie ex tribus codicibus et ed. Frob. 2. *M. Claudius Marcellus* Crevierii et Lallemandi auctoritate restituendum, commentantis iudicio comprobatum est, *Marcellus* Claudiorum eorumque plebeiorum cognomen fuisse, non Corneliorum, ad quos Lentuli referebantur; hos contra *Marcellinos* esse cognominatos. Asconius ad Ciceronis Orat. pro Scauro p. 188. ed. Beier. *Fuerunt enim duae Claudiae familiae: earum, quae Marcellorum appellata est, plebeia; quae Pulchrorum, patricia.* Cf. Sueton. Tib. cap. 1. Denique non erat, opinor, cur Pertzius vereretur, ne cognomen MARCELL*INUS* versiculi mensuram excederet, quum plerique versus viginti literis constent, et librarius spatii angustiis exclusus cognomen illud ita scribere potuisset, ut extremae eius literae pariter atque in vocabulo *GENTIBUS*, quod in Vaticano Livii fragmento legitur, in unam figuram coalescerent. Vid. Brunsii Epist. ad Kennicottum p. 334. et quae ibi annotavimus. Quae quum ita sint, perquam probabile est, hunc P. Cornelium Lentulum Marcellinum, qui quaestor in Cyre-

naicam provinciam missus esse dicitur, non diversum esse ab illo P. Lentulo, M. Marcelli filio et M. Claudii Marcelli Aeserniui fratre germano, qui a Cicerone Brut. cap. 35. commemoratur, et a Lentulo quodam adoptatus *Marcellini* cognomen posteris hereditarium reliquit. Hunc autem a. u. 687. sive 67. a. Chr. Pompeii legatum in bello piratico fuisse, ex Appian. Bell. Mithrid. cap. 95. et Flor. III, 6. ubi, omisso praenomine, simpliciter *Λέντουλος Μαρκελλῖνος*, et secundum certissimam Annae Fabri, feminae doctissimae, emendationem *Lentulus Marcellinus* appellatur, Drumannus Hist. Rom. Part. II. p. 405. probabiliter admodum suspicatus est.

EODEM ACTORE] Pertzius p. 12. vocabulum *actor* a Livio usurpatum esse dixit. Recte quidem. Liv. VII, 2. de Livio Andronico haec leguntur: *idem scilicet, id quod omnes tum erant, suorum carminum actor*, atque ibidem *actores Atellanarum* et XXIV, 24. Ariston quidam *tragicus actor* commemorantur. Sed quid hic actore scenico sive histrione opus est, quum res non ludicra, sed seria agatur? Haec igitur, quum res ipsa loquatur, refutare nihil attinet. Neque vocabulum *actor*, ut de ceteris eius significationibus taceam, hoc loco ita potest explicari, ut apud Cic. de Orat. III, 15. *ut illum efficeret oratorem verborum, actoremque rerum*, id est *πρηκτῆρα ἔργων*, quod Homer. Iliad. IX, 443. legitur, Orat. pro Sext. cap. 28. *dux, auctor, actor rerum illarum fuit*, et Cornel. Nep. Attic. cap. 3. *Hunc enim in omni procuratione rei publicae actorem auctoremque habebant*, pro quo Caes. B. C. I, 26. *si, illo auctore atque agente, ab armis sit discessum*, id est, ut Vossius interpretatur, illius suasu atque opera. Cf. Fabri ad Sallust. Cat. cap. 3, 2. Quid multa? Livium *eodem auctore* scripsisse, vel quovis pignore contenderim. Quaestores enim, ut ceteri magistratus, ex senatus consulto in provincias mittebantur, et Lentulus auctore Pompeio vel alio nescio quo in Cyrenaicam provinciam missus esse videtur. Sic Liv. XXIV, 43. *Comitiis perfectis, auctore Q. Fabio consule, designati consules Romam arcessiti magistratum inierunt*, ubi Gronovius: „Significat, inquit, consulem principem id consilium dedisse; quod deinde, relatione facta dictisque sententiis, in senatus consultum transiit.“ Locis a Gronovio prolatis adde Liv. XXXV, 9. *Apustio auctore tertia pars agri dempta est*, XXXVII, 47. de C. Laelio consule: *ut novae coloniae duae in agrum, qui Boiorum fuisset, deducerentur, et retulit, et auctore eo patres censuerunt*, atque Cic. Orat. in Pis. cap. 15. *Cn. Pompeio auctore et eius sententiae principe.* De crebra vocabulorum *auctor* et *actor* permutatione vid. Drakenborch. ad Liv. I, 26, 5. et Moser. ad Cic. Leg. III, 4. p. 396.

CURENAS] Pro *Cyrenas*, quae provincia Plin. N. H. V, 5. *Cyrenaica* sive *Pentapolitana regio* vocatur. Complectebatur enim urbes quinque, Hesperiam sive Berenicen, Arsinoen, Ptolemaida, Apolloniam, ipsamque Cyrenen. Cf. Tzschuck. ad Pomp. Mel. I, 8. Vol. III. Part. I. p. 200. sq. Vulgarem huius nominis scripturam codices ad unum omnes offerunt Liv. XXIII, 10. *Navem Cyrenas detulit tempestas, quae tum in ditione regum erant*, id est in ditione regum Aegypti, et XXXIV, 62. *cum parte Numidarum vagantem circa Cyrenas.* Propterea hic quoque *Cyrenas* scripsi. Similiter tamen Liv. XXXIV, 62. pro *Byrsam* in cod.

Bamb. aliisque *Bursam*, et Cic. Orat. pro Flacco cap. 17. pro *Phrygi* et *Dorylensis*, id quod Niebuhrius ad M. Tullii Ciceronis Orationum Fragmenta p. 111. testatur, in codice vetustissimo, qui in tabulario basilicae Vaticanae asservatur, *Frugi* et *Dorulensis* legitur, atque Orellius in Taciti Annalibus pro *Syria* ex codicibus Mediceis ubique fere *Suria* recepit. Ceterum in extremo versu, licet dimidia tantum *Q* litera in palimpsesto compareat, Pertzius recte *quod* reposuisse videtur.

REGIS APIO...] Non est quod dubites, Pertzium p. 10. recte *Apionis* scripsisse. Apparet enim atque exstat, significari Ptolemaeum cognomine Apionem, de quo Liv. Epit. LXX. haec leguntur: *Ptolemaeus, Cyrenarum rex, cui cognomentum Apioni fuit, mortuus heredem populum Romanum reliquit, et eius regni civitates senatus liberas esse iussit.* Cf. Appian. Bell. Civ. I, 111. Iul. Obseq. cap. 109. Iustin. XXXIX, 5. Sext. Ruf. cap. 13. et Eutrop. VI, 11. ibique interpretes. Postea tamen Cyrenae, id quod a. u. 684. sive 70. a. Chr. vel paullo ante factum esse Pertzius p. 11. probatum ivit, in provinciae Romanae formam redactae sunt. Atque hanc ipsam ob causam Livius Cyrenas *novam provinciam* appellavit. Vid. tamen quae infra ad III, 5. et 6. annotavimus.

TESTAMENTO NOBIS D...] Pertzius p. 4. lacunam recte, opinor, ita explevit, ut *data* scribendum censeret. Nam in Ulpiani Fragmentis ex codice Vaticano a Boeckingio Bonnae a. 1836. editis p. 44. Tit. XX. *de testamentis* haec leguntur ex Gaii Institutt. II, 104. petita: *Nuncupatur testamentum in hunc modum: tabulas testamenti testator tenens ita dicit: Haec ut in his tabulis cerisve scripta sunt, i t a d o, ita lego, ita testor; itaque vos, Quirites, testimonium perhibetote. Quae nuncupatio et testatio vocatur.* In his pro *cerisve* ex vana Schillingii opinione *cerisque*, quod apud Gaium legitur, scribendum esse, nemo facile concedet, qui Livium noverit. Etenim Liv. I, 24. fetialis: *ut illa palam*, inquit, *prima postrema ex illis t a b u l i s c e r a v e recitata sunt sine dolo malo, utique ea hic hodie rectissime intellecta sunt, illis legibus populus Romanus prior non deficiet.* Codices nihil variant. Ulpianus, quum latine sciret, in formula sollemni nihil quidquam mutandum esse vidit. De *ve* coniunctione disiunctiva et enclitica cf. Weissenbornii Gramm. Lat. p. 388. sq. atque Kritzii et Bergeri Gramm. Lat. p. 471. Paullo post autem, quum cod. Vat. offerat *p̄bitote*, id est *praebitote*, quod in prioribus horum fragmentorum editionibus legitur, nescio an pro *perhibetote*, quod Cuiacio aliisque placuit et Gaii auctoritate, qui *testimonium mihi perhibetote* scripsit, confirmari videtur, rectius scribas *praebetote*, quod ad codicis scripturam propius accedit. Utrumque tamen recte dicitur. Nam apud Colum. III, 9. *testimonium perhibere*, et apud Modestin. Digest. XLVIII, 10, 27. *testimonium praebere* pro vulgari *testimonium dare* reperitur.

..... PERGENTIS] In summo errore atque maxima sermonis latini ignoratione versatur Pertzius, qui p. 4. hoc loco de prioris magistratus sive quaestoris decessione agi ratus in versu praecedente, quum *eo* admitti non posset, vocabulum *inde* reponendum esse existimavit, coll. Liv. XXIIII, 27. *Si vero inde pergeret, priusquam Iberum transiret, Romanorum Hispaniam fore.* Hoc autem loco *si inde pergeret* idem est quod *si ex Hispania profectus*

exercitum in Italiam duceret. Nam verbum *pergere* non simpliciter ita ponitur, ut sit idem quod *discedere*, sed a Latinis ubique ad locum, in quem quis contendit, vel ad rem, quam quis molitur, referri solet, ita quidem, ut loci et rei significatio vel omittatur, vel adiiciatur. Pauca saltem de permultis ac paene innumeris adiungam exempla ex Livii libris petita: Liv. VII, 34. *perge hinc omni liber metu*, et X, 33. *inde pergere ac persequi, quia turbida lux metum circa insidiarum faciebat, non ausi*; III, 6. *pergit inde infestus in agros Romanos*, cap. 46. *pergere inde recta ad portam*, quibus paullo post haec subiiciuntur: *Iussi pergunt, citatisque equis nuntium ad patrem perferunt*, VII, 13. *ad tribunal pergit*, X, 25. *ad castra Appii praetoris pergit*, XXVIII, 2. *in ultimam Hispaniam adversus Hasdrubalem pergit*, XXXI, 26. *cum parte ipse Piraeeum pergit*, et XLIV, 2. *pergere inde in Macedoniam*; atque additis verbis infinitis: I, 37. *pergit porro in agrum Sabinum exercitum inducere*, IX, 2. *pergunt repetere viam*, XXI, 22. *pergeret porro ire*, XXIX, 32. *pergit ire ad regnum repetendum*, XXXIII, 1. *pergit ire ad urbem*, XXXVI, 42. *pergit protinus navigare Peloponnesum*, XXXVIII, 12. *quod nunc ordiri pergam*, et cap. 20. *trifariam exercitum divisum ducere ad hostem pergit.* Praeterea magistratus Romani, id quod haud parvum ad rem, de qua agitur, comprobandam momentum habet, ex provinciis neque *pergere*, neque *discedere*, sed proprio vocabulo *decedere* dicebantur. Quod quum iam Klotzius ad Cic. Disp. Tusc. II, 25. Kritzius ad Sallust. Iug. cap. 20, 1. atque Fabri ad Liv. XXIII, 34, 10. et ad Sallust. Iug. cap. 36, 4. satis comprobaverint, multo paucioribus utar exemplis. Liv. XXVIII, 28. *decedens confecta provincia imperator*, cap. 32. *priusquam provincia decedat*, XXIX, 20. *ut eum de provincia decedere iuberent*, XXXVIII, 42. *Manlium Fulviumque decedere de provinciis*, XXXIX, 3. *decedere provincia praetor iussus*, XL, 16. *qui ex ea provincia decesserat*, XLI, 10. *ad extremum utrumque decedere provincia iussit*, cap. 17. *ipsique decedenti de provincia exercitum secum deportare liceret*, et XLII, 8. *nec ante consulem de provincia decedere*, quod ex cod. Vindob. restitui. Atque haec quidem de latina consuetudine satis dicta sunto. Nunc restat, ut, quum Lentulus primus, nisi fallimur, fuerit quaestor, qui in novam provinciam Cyrenas prudentius quam ab indigenis, quum suis legibus uterentur, regendam mitteretur, quomodo hic locus scribendus sit ac supplendus, breviter doceamus. Nemo autem, ut opinor, tam hebes est et obtusus, quin statim perspiciat, pronomine *illas* inserto et disiunctis, quae continua scriptione coniuncta sunt, vocabulis, emendatione sicuti facillima, ita certissima esse reponendum: *ILLAS* PER GENTIS sive *per gentes*, id est *inter gentes*. Graece ἀνὰ τὰ ἔϑνη dixeris. Sic Liv. XLII, 42. *aut frustra clementiae gravitatisque vestrae fama vulgata per gentes est*, XLV, 12. *Clara ea per gentes legatio fuit*, ubi in cod. Vindob. itidem *per gentis* legitur, de qua accusativi forma Kritzium ad Sallust. Cat. cap. 1, 1. et Wagneri Orthogr. Virgil. p. 382. sqq. conferas, Tacit. Annal. XII, 12. *ita dignum maioribus suis et familia Cassia ratus per illas quoque gentes celebrata*, XIII, 55. *aderatque iis clarus per illas gentes et nobis quoque fidus, nomine Boiocalus*, Virgil. Georg. I, 330. sq. *et mortalia corda Per gentes humilis stravit pavor*, et IV, 561. sq. *victorque volentis Per populos dat iura.* Praeterea cf. Handii Tursellin. Vol. IV. p. 430. sq. Kritzium ad Sallust. Iug. cap. 30, 1. et Boetticheri Lex. Tacit. p. 349. ubi adde Annal. XIII, 51. *per provincias.*

IMPERIO CO...NENDA FUIT] Pertzius p. 10. lacunam ita explevit, ut scriberet: *imperio componenda fuit.* Sic Cic. Leg. III, 18. *composita et constituta re publica*, Liv. XLV, 16. *donec de sententia legatorum res et bello turbatas, et in statum alium ex regno formandas composuissent,* quod itidem ex cod. Vindob. restitui, et Tacit. Annal. II, 4. *tum C. Caesar componendae Armeniae deligitur.* Verum iam antea a. u. 668. sive 86. a. Chr. Lucullus, id quod Plutarchus Lucull. cap. 2. memoriae prodidit, Cyrenensium rem publicam, priusquam in provinciae Romanae formam redigeretur, tyrannorum quidem imperio liberatam, sed nondum legibus temperatam composuerat. Quam ob causam scribere malim: *imperio continenda fuit;* praesertim quum vocabulum *imperio* sit adiectum, quod huic verbo magis convenit, et lacunae spatium literas *MPO* propter *M* literae latitudinem capere non posse videatur. Cf. quae infra ad III, 8. et 9. annotavi. Similiter Liv. XXIX, 36. M. Cornelius Cethegus consul *non tam armis, quam iudiciorum terrore, Etruriam continere* dicitur. Vid. Drakenborch. ad Liv. XXXIX, 28, 2. ubi adde Caes. B. G. V, 3. *quo facilius civitatem in officio contineret.* Ceterum chalcographus vocabulum *IMPERIO* ita expressit, ut prima eius litera ad *E* literae similitudinem proxime accedat.

..UERSORUM ORDINU.] Haec quoque Pertzius, qui p. 10. priorem lacunae partem ita supplevit, ut perperam *Praeter ea* pro *Praeterea* poneret, p. 4. ex summis, qui in palimpsesto supersunt, literarum apicibus optime restituit. Nemo igitur dubitabit, quin idem recte *diversorum ordinum* scripserit. Discordia autem ordinum, quam Livius III, 67. venenum urbis Romanae dixit, quot et quanta concitaverit patrum ac plebis certamina, nemo rerum Romanarum a Livio perscriptarum tam ignarus est, qui nesciat. Livium igitur etiam hoc loco, quem multo minore, quam Pertzius p. 8. arbitratur, intervallo ab tertia, quae sequitur, columna disiunctum fuisse supra docere studui, de diversorum, id est inter se discordantium, ordinum certaminibus ita exposuisse suspicor, ut tumultum propter atrocem patriciorum, nisi fallor, in plebeios saevitiam in sacra via commotum enarraturus in hunc fere modum scriberet: *Praeterea diversorum ordinum certamina exarserunt.* Nam tunc quoque, ut verbis Taciti Annal. XII, 60. utar, ordinum diversa studia, et quae vicerant, publice valebant.

III.

.IS SAEUITIA] Pertzius p. 4. recte dubitavit, utrum nominis substantivi, an adiectivi reliquiae sint literae *IS*, quae in lacera membrana ita supersunt, ut infima tantum *I* literae particula compareat, et ex Liv. I, 53. *intolerabilis saevitia* reponendum censuit. Quis autem talia praestet? Res in medio relinquenda. Ceterum in versus principio non tres literas, ut Pertzio p. 8. visum est, sed unam tantum intercidisse existimo. Nam hic quoque versus, ut plerique, viginti literis constitisse videtur.

FATI..TA PLEBES] Pertzium recte *fatigata* scripsisse, nemo in dubium incertumque revocabit. Sic Livius XXXVII, 7. *fatigatos tot repulsis Aetolos* dixit, et XLI, 10. haec scripsit: *Postremo fatigatus consul et contumeliis singulorum, et multitudinis (nam insuper irridebant)*

ludibriis, nave eadem, qua venerat, Aquileiam rediit. Ceterum Pertzius p. 8. perperam vocabulo *plebes* cum iis, quae proxime sequuntur, coniungendo interpunctionem minimam subiecit.

CONSU... AMBO] Recte quidem Pertzius p. 4. et 12. haec ita restituit, ut ex Livii consuetudine, de qua Gronovius et Drakenborchius ad Liv. XXXV, 21, 5. exposuerunt, *consules ambo* scriberet, sed minus recte, ut iam supra dixi, his verbis Q. Hortensium et Q. Caecilium Metellum Creticum, quos a. u. 685. sive 69. a. Chr. consules fuisse constat, significari, et Hortensium in iis, quae interciderunt, commemoratum esse existimavit. Ita enim, quum nemo facile sibi persuasurus sit, Livium post verba: *in propugnaculum pervenit,* quibus oratio absolute concluditur, alia eaque diversa de Hortensio adiecisse, verba: *consules ambo,* quae rectius cum verbo *invadit* coniungi postea demonstrabo, non habebunt, quo referantur. Aliter res se haberet, si Livius vel usitato more, quem II, 7. in verbis: *tantus terror Tarquinium atque Etruscos incessit, ut, omissa irrita re, nocte ambo exercitus, Veiens Tarquiniensisque, suas quisque abirent domos*, secutus est, hic quoque scripsisset: *Plebs consules ambo, Q. Metellum, cui postea Cretico cognomen fuit, et Q. Hortensium, virum eloquentissimum, sacra via cum magno tumultu invadit,* vel orationem ita conformasset, ut alibi, quum de eodem hominum genere diversa per appositionem narrantur. Quod ut facilius intelligatur, mihi temperare non possum, quo minus eiusmodi locos adscribam. Liv. I, 55. de Iovis templo in monte Tarpeio: *Tarquinios reges ambos, patrem vovisse, filium perfecisse,* XXIV, 20. *Consules Marcellus retro, unde venerat, Nolam redit, Fabius in Samnium ad populandos agros recipiendasque armis, quae defecerant, urbes processit,* XXV, 19. *Inde consules, ut averterent Capua Hannibalem, nocte, quae secuta est, diversi, Fulvius in agrum Cumanum, Claudius in Lucanos abiit,* XXXVII, 13. *Romani, pars exigua, primis tenebris portum Samiae desertum tenuerunt; classis cetera noctem totam in alto iactata in eundem portum decurrit,* et XL, 28. *iussique praetores Petillius urbanas dimittere legiones, Fabius sociis atque nomini Latino remittere delectum.* His adde X, 27. *inde diversae ferae, cerva ad Gallos, lupus ad Romanos cursum deflexit.* Vid. Kritzii et Bergeri Gramm. Lat. p. 295.

Q· METELLUM] Praenominis notae hic, ut alibi, punctum est subiectum. Eandem duobus interdum punctis inclusam esse, post Iuvenatium ad Livii Hist. Lib. XCI. Fragmentum p. 395. et 419. docui. Sed haec leviora sunt: illud haud paullo gravius, quod ex iis, quae supra de verbis: *consules ambo*, annotavimus, facile intelligitur, Q. Metellum, de quo Drumanni Hist. Rom. Part. II. p. 50. sqq. velim conferas, tum, quum haec Romae agerentur, non consulem, sed hominem privatum fuisse. Atque ut ita statuam, illud quoque me movet, quod verba a Pertzio non male restituta: *cui postea Cretico cognomen fuit*, quae Metelli nomini subiiciuntur, homini privato magis quam consuli, quem a Livio iam antea commemoratum fuisse perquam probabile foret, convenire videntur. Ita autem simul efficitur, tumultum illum non eo, quo Pertzius statuit, anno in sacra via exortum esse, neque Livium haec omnia in octavo et nonagesimo historiarum suarum libro enarrare potuisse. Certiora tamen atque exploratiora, nisi probaveris, quae paullo post dicam, dare nequeo; praesertim quum verba:

vel candidatum praetorium, quae infra leguntur, tantis impedita sint difficultatibus, ut, nisi coniecturae paullo audacioris ope, expediri non posse videantur.

CUI ... TEA CRETICO COGNOME .. IT] Haec Pertzius p. 8. probabiliter supplevit hunc in modum: *cui postea Cretico cognomen fuit.* Sic Liv. II, 33. *cui cognomen postea Coriolano fuit*, XXV, 2. et XXXVI, 36. *cui post Africano fuit cognomen*, atque saepius alibi, veluti XXVI, 39. XXXII, 2. et XXXIV, 47. Nos tamen non idem hac de re sentire, ex iis apparebit, quae postea dicentur. Lineolam autem literae *N* vicariam hic in vocabulo *COGNOME*, quod in extremo versu legitur, sive omissam sive erasam alibi quoque in codicibus palimpsestis desiderari, in Annotatt. ad Livii Hist. Lib. XCI. Fragmentum p. 397. docui.

UEL CANDIDATUM .. AETORIUM] De his verbis, quae Oedipum requirere videntur, Pertzius, qui p. 3. ultimam vocabuli *CANDIDATUM* literam, cuius particula saltem in palimpsesto reperitur, non omittere debebat, p. 12. ita commentatur: „*Im Einzelnen ist zuerst der Ausdruck* candidatus praetorius *zu bemerken, welcher gewöhnlich einen Bewerber um die Praetur bezeichnet, hier aber von einem Consul gebraucht, in dem alten Sinne verstanden seyn muss, wo* praetor *den* consul *einschliessend, überhaupt den höchsten Magistrat bezeichnete, und worin Livius den Dictator* praetor maximus *nennt.* Candidatus praetorius *wäre daher der Bewerber um eine der höchsten Würden, und in dem vorliegenden Falle, der Bewerber um eine Provinz, nämlich Creta, welche dem Metellus zu Theil ward, nachdem Hortensius darauf verzichtet hatte.*" Haec igitur ille. Tot autem tantisque Pertzius haec verba ad Metellum consulem referens implicitus est erroribus, ut mihi usurpandum sit illud Homericum: *Τί πρῶτόν τοι ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω;* Ac primum quidem inter omnes constat, *candidatos consulares* et *praetorios* sive *candidatos consulatus* et *praeturae* a Romanis non dictos esse, nisi eos, qui consulatum et praeturam peterent, atque scriptores latinos hanc loquendi consuetudinem constantissime servasse. Cicero Orat. pro Muren. cap. 27. *Respondebo igitur*, inquit, *Postumio primum, qui nescio quo pacto mihi videtur praetorius candidatus in consularem, quasi desultorius in quadrigarum curriculum incurrere*, et Plin. Paneg. cap. 63. Traianus Caesar appellatur *candidatus non consulatus tantum, sed immortalitatis, et gloriae, et exempli, quod sequerentur boni principes, mali mirarentur.* Similiter etiam Cic. Epp. ad Q. fr. II, 15[b] *tribunicii candidati*, Sueton. Tib. cap. 42. *quaesturae candidatus*, et Vespas. cap. 2. *aedilitatis* ac *praeturae candidatus* dicuntur. Deinde nemo quidem ignorat, summum Romanorum magistratum, id quod ex Cic. Leg. III, 3. Liv. III, 55. Plin. N. H. XVIII, 3. aliisque locis intelligitur, antiquitus *praetorem* esse dictum, et dictatorem in lege vetusta, quae Liv. VII, 3. commemoratur, *praetorem maximum* appellari. Sed idem vocabulum post a. u. 388. sive 366. a. Chr. quo unum praetorem, qui ius in urbe diceret, ex patribus creatum esse Livius VI, 42. et VII, 1. memoriae tradidit, de consule vel alio magistratu, praeter praetorem proprie sic dictum, usurpari solitum fuisse, ut credam, a me impetrare non possum. Cf. Beckeri *Handbuch der Römischen Alterthümer*, Tom. II. Part. II. p. 89. sqq. ubi ille diligenter, ut solebat, hac de re exposuit. Quae quum ita sint,

quis, quaeso, sibi persuadeat, Metellum consulem Cretae provinciae, quam non pro praetore, sed pro consule obtinuit, cupidum a Livio *candidatum praetorium* esse appellatum; praesertim quum nemo facile institutorum Romanorum tam ignarus sit, ut consules et praetores provincias a senatu iis decernendas non candidatorum more petiisse, sed decretas aut sortitos esse, aut inter se comparasse nesciat? Lege, si lubet, quae Liv. XXXVII, 1. de re notissima narrantur, nec dubitabis. Videamus igitur, an aliam viam ingressi hunc locum haud dubie depravatum emendare possimus atque expedire. Particula *UEL* Pertzio, id quod ex eius silentio colligas, non suspecta, quam ab hoc loco alienam esse ex Reisigii Gramm. Lat. p. 442. sq. atque Kritzii et Bergeri Gramm. Lat. p. 470. disces, in palimpsesto ita comparet, ut ultima eius litera, cuius superior particula sub prima vocabuli *loco*, quod illi superscriptum est, litera latet, pro *L* et *T* haberi possit; ita quidem, ut inferior, ne quid dissimulem, propius ad *L* literae similitudinem accedere videatur. Nihilo minus tamen, quum vel Pertzius ipse, qui similiter infra de vocabulo *propriore* agens dubitavit, utrum *I*, an *T* in palimpsesto legatur, et IV, 6. easdem literas permutavit, vel chalcographus hac in re facile potuerit errare, totum locum ita constituendum esse arbitror, ut levissima literarum, quae supersunt, mutatione scribatur: *cui postea Cretico cognomen inditum, et candidatum praetorium* etc. Librarium enim, ut errorem a se commissum emendaret, ex more ab aliis quoque librariis usurpato vel INDITU, litera *M* minuscula literae *U* superimposita, vel INDITU¯ scripsisse, atque literulam illam vel lineolam eius vicariam, vulgo quidem in extremo versu poni solitam, tum, quum membrana novae scripturae aptaretur, ita erasam esse suspicor, ut nulla eius vestigia remanerent. Vid. Annotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 36. 73. sq. et 91. De lacunarum autem supplementis non est cur dubites. Liv. I, 34. de Aruntis filio: *puero, post avi mortem in nullam sortem bonorum nato, ab inopia Egerio inditum nomen,* cap. 50. *Haud mirum esse, Superbo inditum Romae cognomen,* II, 13. *cui postea Scaevolae a clade dextrae manus cognomen inditum,* III, 65. *unde Aspero etiam inditum est cognomen,* XXIX, 37. *Inde Salinatori Livio inditum cognomen,* et XL, 44. *Inde cognomen familiae inditum, ut Annales appellarentur.* Ea igitur, quae Livius breviter narravit, mea quidem opinione explicanda sunt hunc in modum: „Plebs inter illa, quae supra commemorantur, diversorum ordinum certamina impotenti patriciorum saevitia fatigata consules ambo, nescimus cuius anni, cum Q. Metello, qui tum privatus postea, quum ex consulatu Cretam insulam intra triennium perdomuisset, Creticus cognominatus est, et candidato praetorio, cuius nomen a Livio in praecedentibus editum ignoramus, in sacra via, quam propter merces ibi venales frequentissimam fuisse ex Propert. II, 24, 14. sive 18, 62. Ovid. Amor. I, 8, 100. A. A. II, 266. et Priap. XX, 4. facile colligas, ex tectis magno cum tumultu invasit.“ Quodsi consulis utriusque et candidati praetorii nomina, quae quidem omnes, credo, mecum desiderabunt, ignorari nolueris, haud scio an in id audaciae sit progrediendum, ut supra vocabulo *AMBO* et praenominis notae *Q·* copulam *ATQ·* sive *atque* librarii, ut videtur, errore tam proclivi omissam interponas, ac M. Terentium Varronem et C. Cassium Varum, quos a. u. 681. sive 73. a. Chr. consules fuisse constat, a Livio significari, ipsumque Metellum, quem anno insequenti

praeturam gessisse Drumannus Hist. Rom. Part. II. p. 51. probabiliter admodum suspicatus est, *candidatum praetorium* appellari statuas. Neque tamen nego, concinniorem fore orationem, si scriptum esset hoc fere modo: *Q. Metellum postea Cretici cognomine appellatum et candidatum praetorium.* Si quid autem nostrae coniecturae tribuendum fuerit, has Historiarum Livianarum reliquias per temporum rationem non ad librum nonagesimum octavum, sed nonagesimum quintum, in quo belli a Spartaco commoti initia, quae in eundem annum incidunt, a Livio enarrabantur, referendas esse, ad veritatem propius accedet*). Praeterea, si Lentulus eo ipso anno, quo Metellus candidatus praetorius fuisse videtur, quaestor in novam provinciam Cyrenas est missus, regionem Pentapolitanam non eo, quo Pertzius p. 11. suspicatur, tempore, sed triennio vel, si Appiano fides habenda, quinquennio ante in provinciae Romanae formam esse redactam, statuas necesse est. Appianus enim, qui Bell. Civ. I, 111. de iis, quae Ol. 176, 2. id est a. u. 679. sive 75. a. Chr. acciderunt, haec scripsit: *Τοῦ δ' ἐπιόντος ἔτους, ἕκτης ἑβδομηκοστῆς καὶ ἑκατοστῆς ὀλυμπιάδος οὔσης, δύο μὲν ἐκ διαθηκῶν ἔθνη Ῥωμαίοις προσεγίγνετο· Βιθυνία τε, Νικομήδους ἀπολιπόντος, καὶ Κυρήνη, Πτολεμαίου τοῦ Λαγίδου βασιλέως, ὃς ἐπίκλησιν ἦν Ἀπίων*, non tam per errorem, cuius eum Pertzius insimulavit, Nicomedem et Ptolemaeum cognomine Apionem, qui iam a. u. 658. sive 96. a. Chr. decesserat, uno eodemque anno mortuos populum Romanum regnorum suorum heredem instituisse dixit, quam, si quid iudico, Bithyniam et Cyrenen uno eodemque anno ex regum illorum testamento provincias Romanas factas esse, memoriae prodidit.

SACRA UIA] Livius igitur non solum II, 13. et XLIII, 16. sed etiam hoc loco ex scriptorum optimorum usu *sacra via* pro *via sacra* posuit. Hoc enim Beckerus, cui Wüstemannus ad Horat. Sat. I, 9, 1. accessit, recte improbavit in libello *de Romae veteris muris atque portis*, Lipsiae a. 1842. edito, p. 23. et *Handbuch der Römischen Alterthümer*, Tom. I. p. 219. frustra adversante Urlichsio in opusculo ita inscripto: *Römische Topographie in Leipzig. Ein Anhang zur Beschreibung der Stadt Rom. Stuttgart und Tübingen*, 1845. p. 7. sqq. quem refutavit idem Beckerus in libello: *Zur Römischen Topographie. Antwort an Herrn Urlichs. Leipzig*, 1845. p. 16. sqq. Atque iam ante Beckerum, id quod eum latuit, Goettlingius in Commentatione *de sacra via Romana*, quae Iahnii *Archiv für Philologie und Pädagogik*, Vol. III. Part. IV. p. 629—634. inclusa est, p. 631. in annotatione subiecta: „Qui *viam sacram* dicunt, inquit, traiectis vocabulis, contra morem dicunt antiquiorum Romanorum. Horatius enim propter versum hoc fecit.“ Recte. Nam fractum illum atque elumbem hexametrum: *Ibam sacra forte via, sicut meus est mos*, Urlichsius, qui Horatium, si voluisset, ita scribere potuisse opinatur, sibi habeat. Ceterum Romani, ut hoc addam, similiter montem prope

*) Haec typographo exscribenda tradideram, quum Bergkium in commentariis: *Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft*, a. 1848. Part. X. Nr. 110. p. 880. ubi summa libelli a Pertzio editi breviter exponitur, de horum fragmentorum auctore atque argumento ita iudicasse vidi, ut mecum consentiens et dissentiens haec annotaret: „*Das Fragment bezieht sich auf Begebenheiten des Jahres 681, und dürfte eher den Historien des Sallust angehören.*“ De utroque existimatio communis omnibus esto.

ripam Anienis situm et secessione plebis nobilitatum vulgo non *montem sacrum*, sed *sacrum montem* dixisse videntur. Cf. Liv. II, 32. 33. III, 54. 61. 67. IX, 34. et XXXIV, 7. Ovid. Fast. III, 664. Plin. N. H. XIX, 4. et Flor. I, 23. atque Festus in *Sacer mons*. Uno tantum Livii loco III, 52. *castra in monte sacro locavere,* sed paullo ante bis *sacrum montem* legitur. Propterea de huius loci integritate recte dubites. Codices tamen ad unum omnes lectionem vulgatam tuentur.

DE ..CTIS] Haec Pertzius p. 4. ubi pro *der Anfang des ersten Worts* scr. *das Ende des ersten Worts*, et p. 8. ubi per typographi errorem tectis pro tectis legitur, ita restituit, ut *de tectis* scriberet. Recte quidem, ut videtur. Meliora certe, quum *deiectos*, id est depulsos, scribendum esse frustra coniecerim, non succurrunt. Nam et alibi hanc praepositionem ita usurpari, Handius Tursellin. Vol. II. p. 184. et 194. sq. docuit. Quare non erat cur Pertzius haesitaret, coll. Liv. I, 15. *obviam egressi, ut potius acie decernerent, quam inclusi de tectis moenibusque dimicarent,* ubi *de tectis dimicare,* pro quo Pertzius paullo negligentius *pugnare* scripsit, aliter dici apparet, quam Loewius in Disquisitione *de praepositionis de usu apud Livium,* Grimae a. 1847. edita, p. 9. statuit. Nam *de tectis moenibusque dimicare*, id est de urbe et moenibus ab hoste obsessis periclitari, non idem significat quod *ex tectis moenibusque pugnare.* Alibi tamen Livius, qui XXIV, 47. narravit, *Romanos non vias tantum, sed tecta etiam proxima portae occupasse, ne peti superne ac vulnerari possent,* praepositionem *ex* usurpare maluit, veluti V, 21. *Et pars aversos in muris invadunt hostes, pars claustra portarum revellunt; pars, quum ex tectis saxa tegulaeque a mulieribus ac servitiis iacerentur, inferunt ignes*, et XXXIV, 39. *A circumstantibus ex superioribus locis quidam vulnerati sunt; mox progressos iam etiam ex tectis non tela modo, sed tegulae quoque inopinantes perculerunt.*

CUM MAGNO TU.ULTUM] Haec quoque Pertzius, quem p. 3. quum altera *U* literae particula in palimpsesto supersit, non ..LTUM, sed .ULTUM scribere oportebat, p. 12. vocabulum *tumultu* librarii negligentia, quam non mirari debebat, in *tumultum* abiisse ratus recte emendavit. Etenim librarios, quippe homines errori obnoxios, etiam in codicibus antiquissimis iisque palimpsestis interdum graviter peccasse, nemo ignorat. Vid. nostram Epist. ad Goellerum p. 478. sqq. atque Beieri Addenda et Excursus ad M. Tulli Ciceronis Orationum Fragmenta inedita p. 229. sqq. Quid, quod multo gravius librarii mendum, quomodo mihi persuadeo, infra reperitur. Ceterum Livius promiscue dixit *cum magno tumultu* et *magno tumultu*, omissa praepositione. Vid. Liv. IX, 21. XXIII, 44. XXXVIII, 18. et IX, 22. XXVI, 40. XXXIII, 19. et cf. Handii Tursellin. Vol. II. p. 152. sqq. atque Kritzii et Bergeri Gramm. Lat. p. 392. sq.

FUGIEN...Q·] Ex iis, quae supra de verbis: *ambo consules*, et quae deinceps sequuntur, annotavimus, hoc loco non *fugientemque*, quod Pertzius ad unum Metellum retulit, sed *fugientesque* scribendum esse, facile intelligitur. Ambo enim consules cum Metello et candidato praetorio, si quidem hic ab illo diversus est, quum plebs impetum in eos fecisset, fugisse

dicuntur. Huc accedit, quod hic quoque, ut supra II, 9. ubi vid. quae de eadem re dixi, lacunae spatium *M* literae latitudinem capere non posse videtur.

AD OCTAUI DO..M] Iam Pertzius vidit, *domum* esse scribendum. Et quis, quaeso, non videat? De antiquiore genitivi forma nominis *Octavius*, quam idem p. 12. perperam Livio prae ceteris tribuisse videtur, cf. Vellei. Pat. I, 9. ubi bis *Octavi* pro *Octavii* legitur, Kritzium ad Sallust. Cat. cap. 1, 3. nostrasque Annotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 97. et quae Freundius in Annotatt. ad Ciceronis Orationem pro Milone ad codicis olim Erfurtensis, nunc Berolinensis, exemplar Vratislaviae a. 1838. editam p. 1. sqq. hac de re commentatus est, recte adversante Wagnero Orthogr. Virgil. p. 439. Octavium ipsum Pertzius p. 11. negat a scriptoribus antiquis pariter ac Drumanno commemorari. Qua quidem in re mirifice erravit. Est enim, nisi me omnia fallunt, ille ipse Cn. Octavius a Velleio aliisque commemoratus, de quo Drumannus Hist. Rom. Part. IV. p. 221. sqq. exposuit. Is non solum, id quod Livius XLIV, 17. et 21. atque XLV, 33. et 42. memoriae tradidit, bello Macedonico classem sortitus inclaruit, et praeda Macedonica Romam devecta de rege Perseo navalem triumphum egit, sed etiam, id quod Cicero Off. I, 39. et Philipp. IX, 2. testatur, domum praeclaram et dignitatis plenam, postea a M. Aemilio Scauro emptam et multiplicatam, in Palatio aedificavit, atque a. u. 592. sive 162. a. Chr. in Syriam missus Lysia, ut videtur, auctore Laodiceae in gymnasio a Leptine quodam est interfectus et postea ab Romanis statua in Rostris posita honoratus. De magnifica autem Octavii domo a Scauro amplificata Asconius ad Cic. Orat. pro Scauro p. 211. sq. ed. Beier. *Demonstrasse vobis memini me*, inquit, *hanc domum in ea parte Palatii esse, quae, quum ab sacra via descenderis et per proximum vicum, qui est ab sinistra parte, prodieris, posita est. Possidet eam nunc Largus Caecina, qui consul fuit cum Claudio.* A. u. 795. sive 42. p. Chr. n. Praeterea cf. Wüstemannorum liber ita inscriptus: *Der Pallast des Scaurus, oder Beschreibung eines Römischen Stadthauses. Gotha und Erfurt,* 1820. quem, quum omnia eius exemplaria sint divendita, mihi comparare non potui. Ad hanc igitur domum sacrae viae propinquam, quae a Livio, quum illo, quo haec Romae acciderunt, tempore nondum Scauri esset, *Octavi domus* appellanda erat, ambo consules et Metellus confugerunt.

Q· PROPRIORE ERAT] De hoc loco misere corrupto Pertzius p. 7. ita disseruit: „*Die sehr schwachen Züge unseres Pergaments lassen nicht mit Sicherheit erkennen, ob der obere kleine Strich des* T *noch vorhanden ist; ich glaube aber die Annahme, dass er vorhanden gewesen, um so mehr begründet, da der Buchstab als* I *gelesen* „qui propriore erat“ *nicht verständlich ist, und es auf* domum *zu beziehen eben so unzulässig wäre, da* Q· *nicht* quae *gelesen wird, und* propriore *für* proprior *stehen müsste; ich lese also* PRT = praetor *und* PROPRTORE pro praetore.“ Quamquam omnis haec disputatio per se minime probabilis vel eam ob causam corruit, quod Octavius ille, qui tum Romae, si diis placet, propraetor fuisse dicitur, iam ante nonaginta circiter annos Laodiceae erat interemptus, tamen facere non possum, quin vanas Pertzii opiniones acriter impugnem. Tantum enim abest, ut propterea

quod in orationis Ciceronianae pro Rabirio fragmentis ex palimpsesto Vaticano a Niebuhrio editis p. 75. *Q· AUCTOR* pro *qui auctor* legitur, de Pertzii sententia *qui pro praetore erat*, quod per se quidem recte dici, Kritzius ad Sallust. Iug. cap. 44, 1. docuit, scribendum esse censeam, ut, quum *PRT.* pro *PR.* sive *PRAET.*, id est *praetor*, positum nusquam reperiatur, et, si certa fuerit Pertzii coniectura, literas *AE* a librario omissas esse, multo sit veri similius, in alia omnia discedam. Primum igitur satis constat, voculas *quae* et *que* non solum in Vaticano Livii fragmento atque orationis Ciceronianae pro Fonteio fragmentis ex palimpsesto Vaticano a Niebuhrio editis p. 51. et 52. sed etiam in aliis codicibus, veluti Laurishemensi seu Vindobonensi, a librariis sexcenties permutatas esse; ita quidem, ut *QUE* pro *QUAE* positum in scripturae compendium *Q·* pro enclitico *que* usurpari solitum facile potuerit abire. Cf. Annotatt. ad Livii Hist. Lib. XCI. Fragmentum p. 418. Deinde neque insolitum illum et maxime dubium comparativum *propriore*, in quo Pertzium non offendisse eo magis miror, quo certius est, eum apud scriptores latinos, ex quibus Ruddimannus Institutt. Gramm. Lat. Part. I. p. 180. not. 58. similia collegit, nusquam reperiri, in Liviana oratione admitti, neque disiunctis vocabulis *pro priore* scribi posse, luce clarius apparet. Denique propraetoris commemorationem, quum res in urbe agatur, neque Octavius hanc illamve provinciam pro praetore obtinuisse dicatur, ab hoc loco alienissimam esse, non opus est, ut accuratius demonstrem, quum Romae nullas propraetoris partes fuisse inter omnes constet, nisi inter eos, qui rei publicae Romanae rationem ignorant. Itaque loco desperato ac paene conclamato, inita subductaque ratione, ita succurrendum esse arbitror, ut, quum Octavii domus in monte Palatino, quem sacrae viae propinquum fuisse novimus, posita fuerit, ex nostra qualicunque coniectura, quam non deerunt qui audaciae ac temeritatis coarguant, scribatur: *quae propior erat*, eiecta *E* litera, quam ut librarius per errorem oppido vulgarem praecedenti vocabulo adderet, proximum *ERAT* facile, ut opinor, efficere potuit. Vid. Drakenborch. ad Liv. XL, 7, 8. Pariter Liv. V, 26. *quae propiora erant*, VIII, 13. *quorum ager propior erat*, XXX, 23. *qui propior esset*, XXXII, 32. *qui propiores erant*, XXXIII, 9. *quae propior dextrum cornu erat*, et XXXVII, 56. *quae propior Rhodum insulam trans Maeandrum amnem est*, mediae orationi interponuntur. Vocabulum *propior* autem a librariis alibi quoque eodem plane modo depravatum esse, usu cognitum habemus. Similiter enim in codice Laurishemensi seu Vindobonensi Liv. XLII, 58. et XLIV, 40. *proprius* pro *propius*, quod etiam Tacit. Annal. XIII, 57. in cod. Med. ita corruptum est, XLII, 58. atque XLIV, 9. et 25. *proprior* pro *propior*, XLIV, 28. *propriores* pro *propiores*, adeoque XLV, 34. *proprietatis*, quod, nisi forte librarius ad vocabulum *civitates*, quod praecedit, per errorem fuerit delatus, haud scio an ex *propiores civitates* conflatum sit, pro *propiores* legitur. Atque eodem librariorum dormitantium errore haud dubie depravatus est etiam Senecae locus, de quo Forcellinus s. v. *proprius:* „Comp. *Proprior* habet *Sen. Controv.* 5, 33. *med.* Uno verbo propriore usus. Alii leg. *propiore.*" Ibi enim, quum in editionibus antiquis, veluti ed. Paris. a. 1599. p. 115. ubi haec Controv. X, 4. leguntur, perperam *proprîore* scriberetur, Gronovius Tom. III. p. 382. ed. Amstelod. a. 1672. aliique rectius ediderunt *propiore*, id est aptiore sive accommodatiore. Tacit. Hist.

II, 8. *unde illi super similitudinem oris propior ad fallendum fides*, ubi librarii itidem *propior* in *proprior* corruperunt.

I⁻ ...PUGNACULUM PERUE] Haec quoque Pertzius p. 9. ex residuis literarum apicibus perquam probabiliter restituit, et, quum etiam *O* literae vestigia in palimpsesto exstare videantur atque syllabae *PERUE* in extremo versu positae maximam partem supersint, recte scripsit: *in propugnaculum pervenit.* Praeterea idem p. 12. haec annotavit: „*Die* propugnacula, *wohin die Verfolgung des Consuls das Volk brachte, sind nach der verschiedenen Richtung der Flucht entweder die des Capitols oder der Stadtmauer, wahrscheinlich die letztern, da des Forums nicht erwähnt wird.*" Fugientes ex sacra via non per forum ad Capitolium, sed per vicum ab Asconio commemoratum, qui descendentibus ad sinistram, ascendentibus ad dextram erat, ad Octavii domum in monte Palatino sitam contendisse, ex iis intelligitur, quae supra exposuimus. Ubinam autem *propugnaculum* illud quaerendum sit, quum et moenia urbium, et privata aedificia propugnaculis firmarentur, haud facile dictu est. Liv. XXIV, 1. *Postremo ii modo relicti in urbe erant, qui reficere muros ac portas, telaque in propugnacula congerere cogebantur,* XXX, 9. *Itaque et muri reficiebantur, propugnaculisque armabantur,* Tacit. Hist. III, 84. *Multi semianimes super turres et propugnacula moenium exspiravere,* et Cic. Epp. ad Div. XIV, 18. *Domus ut propugnacula et praesidium habeat, Philotimo dicetis.* Res igitur, quamquam domus Octavii longius ab urbis moenibus abfuisse videtur, in medio relinquenda.

IV.

PAUC..] Iam supra ad I, 1. dixi, Pertzium p. 5. hic quoque *P* literam in versiculi principio positam pro novi capitis signo habuisse. Quod mihi secus videri, non dissimulo. Etenim *P* litera hoc loco posita non, ut illic, sinistrorsum est proiecta, et multo minor quam illa primam voculae *PER* a proximo, ut vidimus, vocabulo *GENTIS* separandae, quae II, 8. legitur, literam magnitudine aequat. Propterea non PAUC.., pro quo Pertzius p. 9. perperam § *Auc..* posuit, sed PAUC.. scripsi, has literas vocabuli *paucus* vel *paucitas* extrema parte truncati reliquias esse ratus.

CUPIT..] Has literas in palimpsesto excipit lineola, quae cuius literae particula sit, non satis liquet. Pertzius p. 3. CUPITL scripsit, sed p. 9. edidit *cupite,* pro quo certe, quum hic nemo loquens inductus esse videatur, *cupit e* scribendum erat, quod recepi.

UALIN..] Pertzius p. 3. parum accurate scripsit ALIN, omissa *U* litera, quae in palimpsesto perspicue legitur, sed p. 9. *ualim* edidit. Recte an secus, non interpretor. Nam altera literae *M* vel *N* particula est abscisa. Illud tamen facile intelligitur, has literas, quae vocabuli latini principium esse nequeunt, in duas vocabulorum diversorum syllabas esse dividendas.

INCO..] Utrum Pertzius p. 9. haec recte disiunxerit, nec ne, ad liquidum redigi non posse apparet.

IERU..] Hoc ipsum Pertzius p. 3. recte posuit, sed idem p. 9. perperam *teru*.. scripsit, *I* litera in *T* mutata. Non est quod dubites, *ierunt* esse reponendum. Etenim in palimpsesto non *T*, sed *I* legitur.

TIAEC..] Haec in palimpsesto ita comparent, ut nescias, utrum ultima litera pro *C*, an pro literae *Q* particula sit habenda. Num *militiaeque* scribendum?

AEQ..] Pertzius quum p. 3. minus recte ALQ scripsisset, p. 9. rectius *aeq*.. edidit. Ceterum hae literae in versus principio ita sunt positae, ut *A* litera subiecta sit literae *I*, quae in versu praecedenti legitur. Pertzius enim p. 3. haec non satis accurate repraesentavit. Neque tamen literula intercidisse videtur.

BIPA..] Hae quoque literae, nisi eas vocabuli *bipartitus* reliquias esse dixeris, in duas vocabulorum diversorum syllabas dividendae sunt.

....ı..] Perexigua tantum ex hoc versu superest lineola, quae cuius literae particula sit, vix divinando quisquam poterit assequi. Ego vero, ut est apud Euripidem, *οὐ μάντις εἰμὶ τἀφανῆ γνῶναι σαφῶς.*

APPENDICULA.

Propter raritatem magis quam praestantiam libelli ab Harduino editi, quem supra p. 3. not. 1. commemoravimus, T. Livii Historiarum Lib. XCI. Fragmentum cum Harduini editionem Hamburgensem Parisiis a. 1773. repetitam secuti supplementis minime probandis et eiusdem interpretatione francogallica ceteris addenda, quae Livii ed. Ernest. Tom. IV. p. 476—486. inclusae sunt, hic subiicere placuit, ut, quantum Niebuhrio aliisque debeamus, appareret.

Fragmentum ex Lib. XCI. Historiarum Titi Livi Patavini.

Nocte tamen insequenti, ipso pervigilante, in eodem loco alia excitata turris prima luce miraculo hostibus fuit: simul et oppidi turris, quae maximum propugnaculum fuerat, subrutis fundamentis, dehiscere ingentibus rimis et tur*bulento* igni coepit: incendiique simul et ruinae metu territi Contrebienses de muro trepidi effugerunt, et, ut legati mitterentur ad dedendam urbem,. ab universa multitudine conclamatum est. Eadem virtus, quae inritantes oppugnaverat, victorem placabiliorem fecit. Obsidibus acceptis, pecuniae modicam exegit summam, armaque omnia ademit. Transfugas liberos vivos ad se adduci iussit, et fugitivos, quorum maior multitudo erat, ipsis imperavit ut interficerent. Iugulatos de muro deiecerunt. Cum magna iactura militum quatuor et quadraginta diebus Contrebia expugnata, relictoque ibi L. Instelo *custode,* ad Hiberum flumen copias adduxit. Ibi hibernaculis secundum oppidum, quod Castra Aelia vocatur, aedificatis, ipse in castris manebat; interdiu conventum sociarum civitatum in oppido agebat. Arma ut fierent, pro copiis cuiusque populi per totam provinciam edixerat: quibus inspectis, referre cetera arma milites iussit. Quae aut itineribus crebris, aut oppu*gnationibus, aut praeliis erant corrupta, abstulit, et eorum loco quae* facta erant nova, mane per centuriones divisit *aequaliter*. Tum quoque *socios milites* instruxit armis: vestimentaque *data. St*ipendium datum. Fabros *omnis generis construendis operibus bellicis idoneos, pretio proposito allexit*: indeque exciverat, quibus officinabus bitumen *ceteraque materiei distribui curavit,* ratione inita, quid in singulos dies effici posset. Itaque omnia simul instrumenta belli parabantur. Neque materia artificibus, praeparatis ante omnibus, in*nixoque* virium *st*udio, nec suo quisque operi artifex deerat. Convocatis deinde omnium populorum legationibus, *verbis extulit,* quas ipse res *pro sociis,* quasque in oppugnandis urbibus hostium gessisset, exposuit, et ad reliqua belli cohortatus est, paucis edoctos, quantum Hispaniae provinciae inter-

esset, suas partes superiores esse. Dimisso deinde conventu, iussisque omnibus, *quae possent res* ibi *stabili*re suas, principio veris M. Perpenam cum viginti millibus peditum, equitibus mille quingentis, in Ilurcaonum gentem misit ad tuendam regionis eius maritimam oram, datis praeceptis, quibus itineribus duceret ad defendendas socias urbes, quas Ponpeius oppugnaret, quibusque ipsum agmen Ponpeii ex insidiis adgrederetur. Eodem tempore et ad Herennuleium, qui in iisdem locis erat, litteras misit, et in alteram provinciam ad L. Hertuleium, praecipiens, quemadmodum bellum administrare vellet; ante omnia, ut ita socias civitates tueretur, ne acie cum Metello dimicaret, cui neque auctoritate, neque viribus par esset. Nec ipse quidem consilium *salubre* versus *semet ipsum*, neque in *opportuno* usurum eum credebat; si traheretur bellum, hosti, cum mare ab tergo provinciasque omnes in potestate haberet navibus undique commeatus venturos; ipsi autem, consumptis priore aestate, quae praeparata fuissent, omnium rerum inopiam fore. Perpenam in maritimam regionem sup*eriorem miserat*, ut ea, quae integra adhuc ab hostis *impetu occurrerent, tut*ari posset, et, si qua occasio detur, incautos per tempus adgressurum. Ipse cum suo exercitu Hiberones et Autalcones progredi statuit, a quibus *adversus fa*mem cum *a se* oppugnarentur Celtib*erae* urbes imploratam esse opem *frustra, meminerat*; missosque *qui* itinera exercitui Romano monstrarent, *compererat. Incertus tamen*, maritimamne oram, ut Ponpeium ab Ilercaonia et Contestania arceat, utraque socia gente, an ad Metellum et Rusitaniam se convertat. Haec secum agitans Sertorius praeter Hiberum amnem per pacatos agros quietum exercitum sine ullius noxa duxit. Profectus inde in Bursaonum et Casuantinorum et Graecuritanorum fines, evastatis omnibus proculcatisque segetibus, ad Calagurim Nasicam, sociorum urbem, benit, transgressusque amnem propinquum urbi, ponte facto, castra posuit. Postero die M. Masium quaestorem in Arvacos et Cerindones misit ad conscribendos ex iis gentibus milites, frumentumque inde Contrebiam, quae Leucada appellatur, comportandum, praeter quam urbem opportunissimus ex Beronibus transitus erat, in quamcumque regionem ducere exercitum statuisset, et C. Instelum praefectum equitum Segoviam et in Vacreorum gentem ad equitum conquisitionem misit, iussum cum equitibus Contrebiae sese opperiri. Dimissis iis, ipse profectus, per Uasconum agrum ducto exercitu, in confinio Vironum posuit castra. Postero die cum equitibus praegressus ad itinera exploranda, iusso pedite quadrato agmine sequi, ad Vareiam, validissimam regionis eius urbem, venit. Haud inopinantibus *Sertorius* advenerat, undique equitibus et suae gentis, et Autricum, *accersitis*.

Fragment du livre XCI^e^ de l'Histoire de Tite-Live, Padouan.

Cependant la nuit suivante, Sertorius, qui était de garde en personne, fit avancer au même endroit une autre tour, dont la vue, au point du jour, étonna l'ennemi. Puis, ayant fait saper les fondemens de celle de la ville, ce fort, qui en avait été le plus solide rempart,

n'offrit bientôt plus que larges ouvertures, d'où l'on vit sortir en même temps des tourbillons de flamme. Les Contrébiens, déconcertés par la crainte du feu et de la chûte, s'enfuirent des murs avec frayeur. Enfin, ce n'est plus qu'un cri de la part de la multitude, pour qu'on envoye annoncer que la ville se rend. La même bravoure, qui venait de triompher de la résistance des assiégés, rendit le vainqueur plus traitable. Il n'exigea d'eux que des ôtages et une légère contribution en argent. Mais il leur ôta toutes leurs armes, et leur enjoignit de lui rendre vivans les déserteurs libres. A l'égard des fugitifs, dont le nombre était plus considérable, il leur ordonna de les tuer. On les jeta égorgés du haut des remparts. Le siége, qui avait duré quarante-quatre jours, avait coûté beaucoup de monde à Sertorius. Il laissa L. Instélus dans la place, dirigea sa marche vers l'Ibère jusqu'à Castr-Elie, ville commode pour un quartier d'hiver. Pour lui, il restait au camp. Mais de jour il tenait dans la ville les assemblées de ses alliés. Il avait envoyé publier dans tout le pays, que chaque peuple, selon son moyen, lui fournît des armes. Et, lorsqu' il en eut fait l'inspection, il commanda à ses soldats de lui apporter les leurs. Celles que les marches, les siéges et les combats avaient mises hors de service, furent réformées, et à leur place, dès le lendemain matin, il partagea également par compagnies les neuves, qu'on avait fabriquées. Il fit de même donner des armes aux troupes alliées, ainsi que des habits, et fit payer la solde. Il avait aussi fait venir du pays des ouvriers de tout métier, à qui on distribuait dans des ateliers le bitume et les autres fournitures de leur profession, en raison de ce qui pouvait chaque jour être mis en oeuvre. C'est ainsi que tout l'attirail de la guerre se préparait à la fois. Ni la matière ne manquait à l'artisan, parce que Sertorius avait pourvu à tout, ni l'artisan ne manquait à l'ouvrage, parce qu'il y employait autant d'ardeur que de force. Sertorius ayant ensuite convoqué les députés de chaque peuple, il leur vanta d'abord ce qu'il avait fait pour eux, leur exposa sa conduite dans l'attaque des places ennemies, puis les exhorta à mettre fin au reste de la guerre, en leur prouvant en peu de mots, combien il importait à l'Espagne, que son parti eût le dessus. L'assemblée congédiée, les ordres intimés sur tout ce qui pouvait donner de la consistance à ses affaires dans cette contrée, il envoya au commencement du printemps M. Perpena avec vingt mille hommes d'infanterie et quinze cents chevaux dans l'Ilurcaonie, pour en défendre les côtes. Il lui avait avant donné ses instructions sur la route à tenir, soit pour couvrir les villes alliées, dont Pompée voudrait entreprendre le siége, soit même pour harceler son armée, en l'attirant dans des embuscades. Dans le même temps il écrivit aussi à Herennuleïus, qui était au même endroit, et à L. Herteleïus, qui commandait ailleurs, afin de lui faire savoir comment il devait conduire les opérations de la campagne; qu'avant tout il protégeât les communautés alliées, sans engager d'action avec Metellus, auquel il n'était en état de faire face, ni par l'influence du commandement, ni par la nature des forces à opposer. Ce n'était pas qu'il crût le conseil bon à suivre pour soi-même. Il ne pensait pas non plus, qu'Hertuleïus regardât l'ordre comme absolu, selon l'occurrence. Car Sertorius sentait bien, qu'en traînant la guerre en longueur, l'ennemi, qui avait derrière lui la mer et toutes les provinces, dont il était maître, tirerait

de toutes parts des munitions par le secours de ses vaisseaux, tandis que lui, après avoir consommé tout ce qu'il en avait amassé l'été précédent, éprouverait une disette totale. Il avait envoyé Perpena, comme on vient de dire, dans les plages supérieures, afin de mettre à l'abri tout ce qui se trouverait encore préservé de l'insulte de l'ennemi, et même pour l'attaquer au dépourvu par circonstance, si l'occasion s'en présentait. Pour lui, son intention était de marcher avec son armée contre les Iberons et les Autalcons. Il se souvenait d'avoir imploré en vain leur secours contre la famine, lorsqu'il assiégeait les villes de Celtibérie. On savait même, qu'ils avaient envoyé des guides à l'armée Romaine*). Cependant il hésitait, s'il devait côtoyer la mer, pour écarter Pompée de l'Ilercaonie et de la Contestanie, nations ses alliées, ou s'il se tournerait vers Métellus et la Rusitanie. Sertorius agité de ces pensées marchait le long de l'Ibère, à travers des campagnes paisibles, sans que son armée tranquille trouvât rien, qui s'opposât à son passage. Bientôt, s'avançant vers les frontières des Bursaons, des Casuantins et des Grécuritains, ravageant tout et détruisant les moissons, il arriva

---

*) Cf. *Histoire Romaine de Tite-Live, traduction nouvelle par Dureau de Lamalle et par M. Noël. Tome XV. A Paris,* 1812. p. 183. ubi in annotatione subiecta Harduini interpretatio huius loci profertur hunc in modum immutata: „*Il avait envoyé Perperna dans les plages supérieures, afin de couvrir tout ce qui n'aurait point encore éprouvé les insultes de l'ennemi, et même pour le prendre au dépourvu, si l'occasion d'une surprise se présentait. Pour lui, il résolut de marcher avec son armée contre les Hibérons et les Antalcons. Il se souvenait d'avoir inutilement imploré leur secours contre la disette de vivres, qu'il éprouvait lorsqu'il assiégeait les villes de Celtibérie. On savait même, à n'en point douter, qu'ils avaient envoyé des guides à l'armée romaine.*" Quod quo iure factum sit, non intelligo. Pro *Antalcons,* quod typographi negligentiae tribuendum videtur, *Autalcons* reponendum esse apparet. Ceterum Harduinus ipse ab Hamburgensi fragmenti Liviani editione ita discessit, ut *erat, ipsis imperavit* pro *erat ipsis, imperavit, quatuor* pro *quattuor, civitatum* pro *civitatium, iussisque* pro *iussis, quae, M. Perpenam* pro *M. Perpernam, millibus* pro *milibus, Nec ipse quidem* pro *Ne ipse quidem, Perpenam* pro *Perpernam, imploratam* pro *inploratam, missosque* pro *missosque qui,* quorum illud, vocula *qui* a typographo praetermissa, in ed. Paris. legitur, *Graecuritanorum* pro *Graccuritanorum,* quod Harduinus, quum in ed. Paris. per typographi errorem in illud corruptum esset, certissima coniectura repertum in annotatione subiecta probavit, neque tamen in huius loci interpretatione secutus est, *segetibus* pro *segitibus,* et *comportandum* pro *conpertandum* scriberet. Praeterea idem de huius fragmenti loco maxime depravato, quem Brunsius ita edidit: *praeparatis ante omnibus inixogivitium — udio,* p. 68. sq. haec annotavit: „*Il est étonnant que l'annotateur, si instruit d'ailleurs, n'ait pas au moins soupçonné, qu'il pouvait y avoir ici,* innixoque virium, *ou même, qu'au lieu de* que virium, *peut-être pourrait-on lire* iubentium. *Dans le cas du mot* iubentium, *Tite-Live aurait voulu dire:* „*Par l'ardeur infatigable des commandans, qui pourvoyaient à tout, ni la matière ne manquait à l'artisan, ni l'artisan ne manquait au travail.*" *Puisque l'éditeur dit dans son épître dédicatoire, que le copiste a fait ici une faute plus grave,* maius subesse videtur vitium, *il devait se faire d'autant moins de scrupule de donner son avis sur le rétablissement de cet endroit.*" Neutrum admitti posse, etiam caeco apparet. Sed salva res est. Quippe viri docti, de quorum coniecturis nostras Annotatt. p. 410. sqq. contulisse iuvabit, certatim docuerunt, hunc locum ita restituendum esse, ut, quum palimpsestus Vaticanus non *inixo givitium ..udio,* sed *nixo civitium ..udio* offerat, certissima emendatione scribatur: *praeparatis ante omnibus enixo civitatium studio.* De ceteris Harduini erroribus non lubet plura scribere.

à Calaguris-Nasica, ville qui appartenait à ses alliés. Après avoir fait jeter un pont sur le fleuve, qui baigne ses murs, il campa à ses portes. Le lendemain il détacha M. Masius, son questeur, vers les Arvaques et les Cérindons, afin d'y recruter et d'en faire partir un convoi de blé pour Contrébie, autrement Leucade, de laquelle, en quittant la contrée des Bérons, il pouvait conduire son armée, partout où il lui plairait. Il envoya aussi C. Instélus, commandant de sa cavalerie, à Ségovie et chez les Vacréens, pour y chercher de quoi augmenter ce corps, et delà aller l'attendre, avec son renfort à Contrébie. Après le départ de ces deux officiers, ayant dirigé la marche de son armée par les terres de l'Umconie, il campa sur les frontières de la Viromie. Puis, le jour suivant, se portant en avant avec sa cavalerie, pour réconnaître le pays, après avoir donné ordre à l'infanterie, de le suivre en bataillon quarré, il arriva à Vareïe, place la plus forte de la contrée. Comme on avait été instruit de sa marche, il s'y était fait un rassemblement considérable de cavalerie de cette nation et de l'Autriche.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 3. not. 2. lin. 6. pro *auf die* via sacra, nisi fallor, *auf der* via sacra scribendum. — Pag. 6. not. 7. lin. 2. pro *tr. mil.* scr. *tr. mil.* — Pag. 7. not. 9. lin. 13. et 14. pro *itatam* et *italam* scr. *itata* et *italā.* — Ibid. lin. 25. pro *hac de consului* scr. *hac de re consului.* — Pag. 9. lin. 3. pro *ist es nothwendig über das Verhältniss*, vocula *um* inserta, *ist es nothwendig, um über das Verhältniss* etc. scribendum videtur. — Ibid. not. 12. lin. 4. post verba: *Elogiis Romanis*, adde: *Servestae a.* 1827. *editis.* — Pag. 15. lin. 23. pro ordinum scr. ordinum. — Pag. 16. lin. 13. pro *I* scr. *I*‾, addita lineola, quae in nonnullis huius libelli exemplis non satis perspicue est expressa.



